PERPETUAE MARIAE VIRGINIS, AC IOSEPH SPONSI EIUS VIRGINITATIS, ...

Christophe : de Cheffontaines









PERPETVAE MARIAE VIRGINIS, AC IOSEPH SPONSI

eius virginitatis, Catholica defensio.

AD ILLVSTRISSIMVM ac Reuerendiss. D. D. Cardinalem de Pelue Archiepisc. Senonensem.

REVERENDISSIMO P. F. CHRISTOPHORO DE CAPITE fontium Fratrum Minorum de Obseruantia Generali ministro Authore.





LVGDVNI,

APVD MICHAELEM IOVIVM, ET IOANNEM PILLEHOTTE, SVB SIGNO IESV.

M. D. LXXVIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Expurgatus ad normā Indicis [illegible]



Vod à Regia maiestate priuilegiũ habemus, quo cautum est, ne quis ad sexennium compositos à nobis libros imprimere absque nostra facultate posit, quod ad librum de perpetua beatę Marię & Ioseph virginitate spectat, in spectabilium virorum Michaelis Iouij & Ioannis Pillehotte personas transferimus, vt nostro iure in eos agere posint, qui dictũ librum absque ipsorũ permissione, imprimere, aut vendere hoc in regno ausi fuerint. In cuius rei fidem pręsentibus subscripsimus die 8. Martij 1578.

F. C. De Capite-fontium Generalis Minister de Obseruantia fratrum Minorum.



ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. D. CARDINALI DE Pelue Archiepiscopo Senonensi,

F. CHRISTOPHORVS DE CAPITE-FONTIVM F. MINORVM De Obseruantia, Generalis minister S. D.

INTER omnia serpentum genera Illustrissime, Domine, nullum maioris crudelitatis infamia laborare, quàm viperarum genimina existimo. Non enim hanc eduntur in lucem, nisi prius matris exesis visceribus, eam nascentes occidant, quæ eorum patrem dum conciperentur, ab scisso dentibus illius capite, crudeliter extinxerant. Quod ideo à natura fieri Plinius ait, ne tam pestiferum semen nimis multiplicetur. Immanis prorsus est, & horribilis, ista nascentium in matrem

suam filiorum crudelitas. At si cum genimină viperarum, quæ infœlix nimium nostra tulit ætas, eam crudelitate contuleris, nulla quasi illius comparatione videbitur. Hæreticos dictos volo, serpentis illius antiqui, primi diaboli ministri, primi hominum homicidæ, pestiferum semen, qui nunquam sese effundunt in orbem, nisi prius serpentinis morsibus, exesis Ecclesiæ matris suæ visceribus, eam crudeliter occidere, & extinguere conentur. Effundunt sese dico, quia non propriè nasci dicerentur, qui in hanc lucem violenter semetipsos ingerunt, intrudunt, impellunt, non expectantes vt consueto more, & naturali filiorū Ecclesiæ nascendi ordine, gignantur, producantur, vocentur, mittantur. Ipsi enim seipsos gignunt, seipsos pariunt, à seipsis nascuntur, vocantur, mittuntur, vt violentum illud viperarum nascendi exemplum prorsus referant atque imitentur. Quis enim quanta cum mortalium strage, quanta cum Ecclesiæ matris suæ ruina, quanta cum omnium ordinū perturbatione & confusione, in Christianum sese effuderunt orbem, vel narrare suffecerit? Quis quàm crudeliter in Ecclesiæ nobiliora membra, imo in omnes eius filios deſæuiant, & grassentur fando, temperet à lachrymis? Parum hoc est, nisi & in Dei matrem in cœlo cum Christo filio suo regnantem, eorum se rabies extenderet & furor, dum impio suo ore blasphe-

blasphemiarum in eam plaustrũ effundunt, atque illius honorem caninis lacerare latratibus audent. Quàm nephanda fantur, dum illius gloriam impugnãt, noster fari animus abhorret. Et quidem à prima mundi origine hoc futurũ, cum primùm illum diaboli ministrum serpentem antiquũ in terrestri alloqueretur paradiso, ipse mundi prædixerat architectator. Inimicitias, inquiebat, ponam inter te & mulierem, semen tuum, & semen mulieris, & ipsa conteret caput tuũ. Quæ mulier hæc alia esse potest, quàm illa, cui Christus serpentis in cruce conterens caput, olim dixit, Mulier, ecce (dilectum discipulum ostendens) filius tuus? Et quod mulieris huius semen dixeris, nisi Christum, & quotquot in sponsa sua Ecclesia Catholica progenuit filios. Qui autem serpentis illius semen, nisi hæreticorum ministri, quos velut zizania inter triticum, inimicus homo, & inimicus hominum diabolus, in dominico, dormiẽtibus hominibus, agro disseminauit? Inter vtrunque semen, perpetuum futurum bellum prædictum est. Serpentis inimicitias, diutius aduersus mulierem perseueraturas, ipse Deus prædixit, & vaticinatus est. Contra eam ergo, omnes filiorum diaboli pro ea omnes filiorum Dei generationes pugnaturæ sunt. Quod futurum prophetico spiritu, ipsamet prauidens, quondam Deũ magnificans cecinit, Exultauit spiritus meus

in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Beatum aliquem dicere, ipsum laudare est laudum suarum omnes filios Dei, omnes filiorum Dei generationes præcones futuros, & encomiastas, istis prædicebat verbũ, Sciebat quidem omnes hæreticos, Iudæos, Paganos, Epicureos, & cæteros quosque serpentis antiqui diaboli filios laudum suarum, honoris sui inimicos fore. At ab istis laudari cõtumeliosũ est, ab istis vituperari laus est. Mariæ spiritus, dum ab omnibus filiorum Dei generationibus laudandam se sensit, exultauit in Deo salutari suo, in Deo saluatore suo, in filio suo, in semine suo Christo benedicto, per quem ad tantam exaltanda gloriã erat. Ita atque Spiritus Sanctus prædixit, se res habet. Omnes semper catholici Mariæ laudum fuere deuoti, omnes semper in eam fremuerunt hæretici, semper eam contempserũt, semper eius laudibus inuiderũt. Et hoc signo filij Dei, à filiis discernuntur diaboli. Quotquot sunt ex parte Dei, aut fuerunt vnquam, Mariam amarunt, coluerunt, venerati sunt. Quotquot verò ex parte sunt diaboli, nulla in eam animi deuotione ferũtur. Et ideo qui se sentit huius laudibus affici, magnum profectò in se filiationis Dei testimonium, & signum habet. Qui se nulla in eam animi propensione inclinari sentit, certò se ex filiis esse

esse diaboli sciat. Omnis, qui eo nõ afficitur, aut hæreticus est, aut peruersus Christianus. Hæc uniuersalis propositio verissima est. Statim atque quempiam Mariæ laudes abhorrere videro, suspectus mihi de hæresi erit. Non poterant Lutheranorum atque Caluinistarum, & reliqua viperarum nostri temporis genimina, manifestiori signo se ministros esse diaboli, & filios ostendere, quàm dum encomium angelicum, aut potius diuinum (nam Dei iussu missus ab eo Angelus Dei verbis sic Mariam salutauit) è suis expunxere Catechismis & deleuere. Sunt enim ex eis, qui mori inquiunt, mallent, quàm illa boni Angeli verba, in huius laudem recitasse. Quod manifestius, aut clarius testimonium, non à Deo, sed à diabolo, non ab angelo bono, sed à malo missos eos & afflatos, aut potius deceptos & incantatos esse, desiderari, quàm hoc posset? Non aliis vllis egemus testibus, argumentis aut signis. Proculdubio ex patre sunt diabolo, quotquot idololatriam esse aiunt, Angelicis Mariam laudare verbis. Idololatráne, ô boni viri, Gabriel vobis Archangelus erit, qui missus è cælis, primus eam tali cum encomio salutauit? Imo verò, idololatráne Deus pater, ex cuius iussu ita ab Angelo salutabatur? Proh superi, quantum hæretica pectora cæcæ noctis habent. Obstupesco, rapior, extrà me sum, dum quorsum eos cæcus rapuerit hæresis fu-

ror, mecum reputo. Sed epistolæ modum excedo. In hos inuehi aliàs dabitur. Nunc autem quorsum hæc à me dicta sint, tempus est vt exponam. Cum per Christi Iesu misericordiam & gratiam, vnus ex iis sim, qui matris eius laudibus afficiũtur, atque honoris eius zelo comeduntur, & Christianũ peragrando orbem in aliquot inciderim eius aduersarios, qui Heluidij de perpetua eius virginitate hæresim ex orco in orbem reuocare conarentur, perpetuam illius virginitatem nullo expresso Dei verbo probari posse pertinaciter asserentes, & præterea de eius sponso sancto Ioseph, indigna multa dicentes: operæpretium facturum me existimaui, si de perpetua vtriusque virginitate librum conscriberem, in quo, qua ratione ex manifesto, claro, & expresso Dei verbo, perpetuam Mariæ virginitatem probare quisque posset, & deinde quid de Ioseph virginitate consequenter sentiendum esset, indicarem, exponerem, docerem. Succisiuis itaque (inter tanti oneris, quod indignus gero, negotiorum tumultus) horis, integrum librum scripsi, in quo ex claro Dei verbo, virginitatis perpetuæ votum, beatam Mariam emisisse priusquam ab Angelo salutaretur, euidentißimè demonstro, ob quod impoßibile semper deinceps illi fuit, cognoscere virum. Impoßibile inquam, quia non licebat, quia iure post factum votum, cognoscere virum non poterat.

 Hoc

Hoc autem posito, & probato, in necessaria deinde consequentia sequi ostendo, beatum quoque Ioseph simili se Deo obstrinxisse voto. Neque enim quisquam sanæ mentis, prudentem existimauer.t virginem, quæ virginitatis votum perpetuò seruare certum habens, viro cohabitatore sola cum solo consentiret, contrarium habenti suo voto propositum, & à quo antea, quantamaxima inter homines reperiri potest, cautionem non exegiss.t, tuto se cum eo citra vllam violandi puderis periculum habitare posse. Nulla autem maior inter homines reperiri cautio potest, quàm si vir simili cum ea voto, Deo se quoque perpetuo virginem futurum, promisisset & receperit. Si viduus, si fornicator, si vllum vnquam aliud incontinentiæ, & fragilitatis suæ signum dedisset, imprudentia summa fuisset illi coniungi matrimonio, aut cum illo habitare consensisse. Quid autem de Deo dicemus, matris filij sui virginitatem, æternùm seruatam volente? Ab eiúsne expectandum sapientia est, vt viri illam custodiæ concredat contrariũ votum habentis? Vt enim castißimam filio suo matrem delegit, ita & de patre fecisse eum dicendum est. Ioseph enim pater dicendus erat Christi. Summo verò castitatis virtus est, virginem ex perpetuo voto esse. Displicuit mihi mirum in modum, quod vir quidam doctus publicis conclusionibus, me præsente, dum

Antuerpiæ anno Domini 1574. essem, sustineret Ioseph, cum intentione cognoscendi eam, in coniugem Mariam accepisse, quam intentionem, & propositũ illum non dimisisse aiebat, vsquequo ab Angelo, in somnis admonitus fuit ex Spiritusancto grauidam eam esse. Ego tum errorem illum validissimis demonstrationibus publicè refutaui, & occasionem præbuit, vt citius librum hunc de Maria & Ioseph virginitate conscriberem. In hoc libro, Illustrißime Domine, nonnulla sunt, quæ aliquorum calumniæ patere possent: eam ob rem, & dialogum illi adiunxi Hyperaspisten, id est propugnatorem dictum, in quo cur in certis exponendis scripturæ locis à cõmuni recesserim opinione, rationem reddo. Inter alia, verba ista prophetæ & patriarchæ Iacob, Non auferetur sceptrũ de Iuda & dux de femore eius, donec veniat qui mittẽdus est, ita me valde torserũt, vt nihil suprà. Nã cum in tali ea sensu allegari communiter contra Iudæos conspicerem, quàm ea nullo pacto habere ostendere facillimum est, permirabar qui factum esset, vt tot docti id viri non animaduerterint. Ita enim communiter allegantur acsi propheta dixisset, Quando ablatum fuerit sceptrum, id est regia dignitas, à gente Iudæorum, sic vt ad alienigenas eorum regnum deuoluatur, tum infra paucos annos Christus venturus est. At Propheta

particulariter

particulariter de sceptri ex tribu tantum Iuda ablatione loquitur, & non dicit non venturum Christum, vsquequo ablatum ex Iuda sceptrum sit, sed totum contrarium. Nempe non auferendum sceptrum priusquam Christus veniret, seu vsque postquam Christus venisset. Vox enim, donec, in communiori sua significatione hîc accipitur, quæ est, secundum Nicolaum de Lyra in primum cap. Matthæi, significare tempus determinatum, quo trāsacto fit aliquid. Sicut dicitur, Iste non comedit, donec esset hora sexta. Hoc est intelligendum quòd completa hora sexta comedit, & non antea. Cum itaque dicat propheta, Non auferendum sceptrum de Iuda, donec veniret Christus, idem est acsi dixisset, ante Christi aduentum, antequam venerit in mūdum, non auferetur dignitas regia à tribu Iuda. Cōmunis opinio in multis à propheta verbis manifestè recedit. Primò in hoc, quòd dicta ad solam vnā tribum verba, velut ad omnes in genere tribus dicta essent, allegat. Secundò, in eo, quòd terminum per vocem, donec, designatum & determinatum relinquit, & id, quòd nō faciendum esse vsque ad dictū terminū dicebatur, pro termino ponit. Id quod nō faciēdum dicitur vsque ad Christi aduentū, est ablatio dignitatis regiæ ex tribu Iuda. Inuerso prophetiæ sensu hanc ablationem pro termino, per donec, significato collocat, acsi dictū

esset

esset donec dicta fiat ablatio, non veniet Christus. Et propheta dixit non fiendam istam ablationem, donec Christus venisset. Et ad ostendendum dictam ablationem factam, quòd aliquis ex alia quapiam Iudæorum tribu super eos regnasset, demonstrasse sufficit Et idea, regnantibus Machabæis, non est dubium quin ex tribu Iuda ablatum regnum esset. Tertiò in hoc à prophetæ verbis communis opinio recedit, quòd cum copulatiuè dixerit regẽ & ducem, vsque ad terminũ per donec significatũ, auferendos ex Iuda non esse, ea tamẽ sic accipit, acsi disiũctiuè dictũ esset, rex vel dux, & tamen sceptrũ & dux, à propheta copulatiuè dictum est. Vnde non solum dignitatẽ regiam, sed etiam ducalem ablatã à Iuda, ad sensus prophetia, in quo eam exponit, veritatẽ probandam ostẽdere tenetur. Quartò, cum secundum historiæ fidem certo certius constet per triginta ad minus annos ante Christum natum Herodem regnasse, & cõmunis opinio tunc tantùm ablatum à Iuda regnum arbitretur cum regnare Herodes cœpit, & propheta tamẽ exerte dicere videatur, non prius auferendum sceptrum quàm Christus veniret, adhuc antè incœptum Herodis regnum eum venisse asserere tenetur. Nec hìc iuuare eam potest si dicat, Quod parum est, pro nihilo reputatur: quia propheta certum terminum in singulari, & indiuiduo designat, & determinat,

determinat, ante quem non auferendum de Iuda sceptrum ait. Et ideo si vel per vnum tantum annum aut diem ante dictum terminum, ablatum sceptrum de Iuda fuisset, iste propheta sensus falsitatis conuinceretur. Nam ne vel leuissimum quidem mendacium in scriptura sacra, August. teste admittendum est. Si quis enim dicat, donec venerit dies Dominicus non comedam carnes, si die Veneris, vel Sabbathi comederet carnes, mendacium dixisse probaretur, eo quòd donec, non confusum aliquid, sed determinatum in singulari numero terminum, denotat, atque significat. His ergo rationibus, cum satisfacere nullo pacto possem, neque quenquam inuenire, qui eas solueret, & ex insufficientibus nascentes solutionibus, controuersias ac scrupulos è medio tolleret, coactus & inuitus, ad aliam inueniendam dictorum verborum expositionem incubui, quam inuentam hoc in libro positam volui, ut super ea doctorum quorumcumque iudicium audire possem. Nam certè magno me sibi are deuereretur, qui rationem doceret, qua communis sustineri opinio posset. A communi autem recedere opinione, in iis, qua non sunt fidei, aut morum, secundum iura tum licet, quando textus est in oppositum, vel ratio, cui satisfieri à communi opinione nequit. Quibus scripturis & rationibus motus, communi hoc in textu exponendo

do opinione recesserim, in dicto Hyperaspiste fusissimè à nobis explicatũ est. Quod sacerdotum cælibatum à Christo institutum & præscriptum esse, per ista eius Luc. 14. verba, Si quis venit ad me, & non odit vxorem, non potest meus esse discipulus, dico & sustineo, in causa nostrates hæretici fuere, qui furiosissimè in Ecclesiam Romanam Apostolicam, & Catholicam, propter dictum ab ea, sine vllo Dei verbo (vt aiunt) introductum cælibatum, debacchari, & insanire solent. Cum iis dum disputandum mihi, pro Ecclesia sustinẽda tam sancta consuetudine fere quotidie foret: neque vllum ipsi Concilium, vel Ecclesiæ doctorem vel summi pontificis quantumcumque sancti decretum, allegari à me permitterent, sed nisi expressum Dei verbum pro cælibatu approbando afferrem, pro victo me, per totam nostram traducturi patriam essent, post attentam dictorũ verborũ Christi consideratione & eorum cum similibus Christi, & Apostolorũ vobis collationẽ, visum mihi fuit, tuto me dicta pro cælibatu asserendo adducere verba posse. Quod cum sæpius à me factum esset, vlterius hæretici Ecclesiam apud nos Romanam, quasi sine expresso Dei verbo, tam graue sacerdotibus suis iugum imposuerit, traducere vlterius non potuere. Licet enim vbi legibus in ordinem cogi hæretici & eorum coerceri vesania potest, cum ipsis disputandum

non

non esse existimem, tamen vbi omnia, vti apud nos confusa iura iacēt, summáque est quiduis agēdi, & credendi, & per quācunque quis viam velit ad infernum & interitum ambulandi libertas, & licentia, mixtique sunt passim sine vllo discrimine cum catholicis haeretici: fieri non potest, vt non aliquoties catholicum doctorem cum ipsis disputare oporteat, tum vt eorum insipientia omnibus nota fiat, tum vt in sua catholica fide contineantur catholici & confirmētur Diebus iis, quibus in literalis suprà dictorum Christi verborum sensu caelibatum contineri, Deo (vt credo) inspirante, mihi in mentem & cogitationem venit, praepotens quidam Dominus, sed haereticus, dum ad quandam suam vrbem, cum falsae & nouae suae religionis nouo ministro accessisset, Catholicum ad disputandum cum suo ministro concionatorem coegit, praescripta sua auctoritate lege, vt non nisi ex claro, & expresso Dei verbo, argumenta quisque sua desumeret. Quo facto, de sanctorum inuocatione disputari caeptum est, quam rationibus quibusdam iisque sophisticis Caluinista minister oppugnabat, dicens Deū misericordē esse, & absque Sāctis iuuare nos posse, & intercessore apud eū, vti apud homines, opus non esse, & similia huiusmodi quae dictus concionator egregiè refutabat. Tum dictus Dominus cōcionatorem Catholicum vrgere caepit,

vt ex

ut ex scriptura Deum docuisse Sanctos inuocare, & eos intercessores quærere ostenderet. Hic cum dicto cōcionatori scripturæ textus non occurreret, ex quo Deum Sanctorum inuocationem homines docuisse demonstraret, succubuisse visus fuit, atque de eo, ut victo, victoriam hæretici summo cum Catholicorum dolore cecinere. Ne tale quid mihi eueniret omni studio sacræ scripturæ ad inuestigandum, qua ratione, tria præcipuè dogmata quæ minus clarè in scriptura diuina contineri, etiam aliquorum catholicorum confessione videntur, ex claro, & expresso Dei verbo desumpta esse probari posset, incumbere cœpi Ea sunt, quæ de Sāctorum inuocatione, sacerdotum cælibatu, & indulgentiarū virtute Apostolica Ecclesia docet. Apostolicā autem Romanam dico, ita ut in symbolo Nicæno, dum Credo vnā sanctā & apostolicā Ecclesiam dicitur, idem esse existimē, ac si sancti patres Credo vnam sanctam Romanā Ecclesiam dixissent. Hæc enim per Antonomasiam Apostolica dicta semper fuit, & Apostolica sedes, & Papa antiquitus, Apostolicus Dominus vocabatur. Sed ut ad propositum redeam. Placuit tandem Domino, ita nostra studia prosperare, ut ex satis claro, & expresso Dei verbo, omnia, quæ Ecclesia de dictis tribus docet probare euidenter de cætero posse me putem. De Sanctorum inuocatione, in scripto à nobis hac de re libello,

quod

quod Deo docente, iubente, consulente, in vsu apud homines esse cœperit, ex manifestis scripturæ testimoniis euidentissimè euinco. De cœlibatu tam dixi. De indulgentiis, in scripto etiam à nobis de iis volumine, id clarissimè demonstratur. Quis manus cum nostri temporis hæreticis communus nunquam conseruere, sufficere putant, si ex Conciliis, & antiquorum patrum testimoniis, dicta dogmata probentur, & asserantur, quod certe cuilibet pio, & catholico sufficere debet. At certa didici experiētia, in nostra Gallia, nec hæreticos ab errore reduci, nec vacillantes in fide catholicos retineri & in officio contineri posse, nisi cum patrum & Conciliorum sententiis, etiam clarum aliquod ex scriptura, pro dogmate, de quo controuertitur, probatione, testimonium adduxerimus. Quapropter morosos aliquos ψευδοσοφους & criticos, qui nunquam in acie cum fidei inimicis dimicauere, & tamen pugnātibus hinc suo sanguine tinctis, inde puluerulento sudore coopertis ictus ex muro dictare solent aliorū labores temerè calumniando, non ea, qua superati, & debellati aduersarij sunt, sed alia cum eis ratione pugnandum fuisse vociferantes, dicta à nobis sint. Neque enim inuenta ex Dei verbo, ad hæc obstinatum vincendum hæreticū arma, facilè abiicienda, aut deponenda fuerint, quandoquidem quauis alia floccipendit, nihili facit, contemnit, re-

det. In ipso pugnæ ardore, strenuus miles obuia quaque, quibus aduersarium lædere queat, audenter tela corripit. Idem cum hæreticis per tot retro annos, perennè certanti faciendum mihi fuit. Hæc Illustriss. Domino meo hic exponenda existimaui, vt quandoquidem in laborum meorum protectorem eum elegerim, quo consilio cuncta scribam, intelligat, & optima me intentione, & quadam velut necessitatis vi, non vlla nouitatis præsumptione, ad sic scribendum motum esse, certo sciat. Quod contra naturam Deum partum virgini concessisse dixerim, ab aliquibus quoque impugnatum iri, præuideo. Nam etiam cum Romæ essem, quidam à Diuo Augustino reprobatum modum istum dicendi, constanter asserebat, & dicendum tamen esse præter, vel supra naturam id factũ esse. Risi in stomacho tam ineptã, neque sibi constantem argutiam. Siquidem neque ab Augustino modus iste loquendi reprobatus est, neque ista sibi verba cõstant, Deus nihil facit contra naturã, sed bene supra vel præter naturã, sed se mutuo strangulant. Nam eadem, qua nihil Deum contra naturam facere, ratione, docet, neque præter, vel supra naturam facere quippiam eum posse dicendum prorsus, & asserendum est. Ideo enim contra naturam nihil Deum facere dicebat, quòd contra voluntatem suam nihil facere queat, atqui neque suprà, neque præter voluntatem

luntatem suam, facere quoque quidquam potest. In Apologetico prædicto, hunc errorem amplissimè refuto. Quod sub instrumenti nomine Sacram citaverim scripturam, aliquibus quoque displiciturum subdubito, Nam etiam Romæ, quidam me magister, velut Erasmianum & prophanarum eius novitatũ sectatorem, apud pios aliquot Ecclesiæ principes, eo quòd in nostro de libero arbitrio libro, scripturam instrumẽtum appellauerim, traduxit. Cum autem Erasmi scita, & prophanas vocum, quas introduxit novitates, si quis alius, cane peius oderim, & angue, nihil displicere magis mihi, quàm Erasmianum me dici poterat. Eam ob rem, licet in hoc libro semel ea vsus voce essem, vt me ab isto purgandi conuitio occasionem haberem, deletam eam nolui. Siquidem in dicto hyperaspiste, à patribus, non ab Erasmo eam me didicisse, innumeris demonstro testimoniis. Et certè cum vox ista, in sermone de transfiguratione Domini in Breuiario Romano legatur, item & in primo Bibliorum prologo, & in eius glossa, quæ cum ordinaria simul impressa habetur, & in primo quoque noui Testamẽti prologo: & praeterea apud Tertullianum, Augustinũ, Hieronymum, Leonem Papam, Rupertum, & alios plerosque, tum antiquos, tum modernos Doctores, frequens eius vsus reperiatur, miror qui vocem hanc, vt prophanam, vt nouam, vt Erasmianam, ausus

dictus Magister reiicere fuerit. Etenim tam frequẽs eius est apud D. Hieronymum usus, ut una atque altera hora in ea legendo, plusquã vigesies ea mihi, etiam aliud agenti accurrerit. Ego non studia aliorum dicta appugnandi, sed animo Erasmiane nomen à me reiiciendi, ad quam sit vetustus illius vocis in catholica Ecclesia usus, declarandum accessi. Nam tantam iniuriam tacendo dissimulasse, fateri eam esset, & admittere. Nonnulli itidem quòd energia pro efficacia usus in libro de libero arbitrio fuerim, & semel Deum seruatorem vocarim Erasmizare me quoque dixere, cum tamen vocem energia, à Diuo Hieronymo in prologo Bibliæ, imò à Diuo Paulo in 2. ad Thessalo. epistola græcè scripta, & seruatorem Deum appellare à Salomone prouerb. 24. didicerim: volebant autẽ ut pro energia efficacia dicerem, tamen Erasmus, ubi græcè Paulus energiã habet, pro qua Hieronymus vertit operationem, efficaciam dixit, non energiam, adeò ut si efficacia, pro energia dixissem, iustiorem habuissent Erasmianum me vocandi caussam. Tantam aliquorum prauitatem, ne temeritatem dicam, Erasmiani nota falsa alios aspergendi non potui profectò non grauiter tulisse. Quæ dixerim, ut si forsan Illustrissima Domin. sua Erasmianum me appellantẽ quemquam eorũ audierit, quàm ulla absque causa id faciat, ex his palam

videat,

videat, neque nihil tale merentẽ, à tam atroci iniuria defendat. Sunt enim nonnulli, in scholasticorũ tantùm doctorũ lectione versati, qui si elegantiori aliqua voce, ex D. Hieronymo, Lactantio, Cypriano, vel aliis antiquioribus Ecclesiæ patribus desumpta, uti quempiam viderint, statim Erasmi Zaxeid esse vociferantur, ac si solum Erasmum latinè, & eleganter loquutum existimarent. Ego humiliori, & simpliciori, quàm potui, stilo, hoc in libro usus sum, contentus congruè, sine barbarismo, & solœcismo, quæ tracto, exposuisse. Eum qualisqualis est, in mea erga eam obseruantiæ testimonium, illustrissimæ dominationi suæ humiliter offero, obnixè rogans placido illum vultu, ut cætera nostra solet, excipiat. Spes namque est, ita, vel maximè candido lectori probatum iri vigilias nostras, si tu quidem eas, qua fronte soles, acceperis. Hic quidem amplissimus mihi D. S. illustrissimam verè & citra fucum laudandi campus aperitur, si generis, & familiæ de Pelue claritatem, nobilitatem, antiquitatem, si eruditionem, si rerum experientiam, qua pollet, si iudiciũ, si religionem, & pietatem, si morum integritatẽ, si in consiliis dandis prudentiam, fidem, syncaritatem, constantiam, si quanta, & quàm grata illius fides, Christianissimi Francorũ reges negotia cõmiserint, si quantis eam honoribus cumularint, si quàm grata summis sacrorũ Ecclesiæ

Christi principibus, qui nostra memoria regnauere, & nunc apud sanctiss. D. N. Gregorium xiij. Pontificem maximũ, quanta in æstimatione sua sit virtus & pietas, explicare oratione voluero. Verùm, quia sicut generis claritatem eruditione, eruditionẽ verò, miro animi candore decorasti, & his omnibus omnium pulcherrimum apicem, admirabilem animi modestiam addidisti, sic nihil minus pati potes, quàm laudes vel modestissimas. Eam ob rem huic epistolæ finem imponam, precans Deum Optimum Maximum D. S. Illustrissimam incolumem in multos annos seruare dignetur. Ex Lugduno Kalendas Martij 1578.

Illustriss. & Reuerendiss. D. S.

Seruus humilis

Frater Christophorus de Capite-fontium, fratrum Minorum de Obseruantia Generalis minister indignus.



AD LECTOREM.

Beatam Mariam Dei matrem virginem concepisse ac peperisse, sumptis ex utroque nouo scilicet, & veteri instrumento testimonijs, probare facile est, at, etiam post partum, virginem eam perpetuò mansisse, nulla efficaciori demonstrari ratione potest, quam si votum illam perpetuæ emisisse virginitatis, ex claro quis Dei verbo euicerit. Hac enim sola via, Euangelico testimonio Heluidij confutaueris errorem. Hanc hoc in libro sequuti viam sumus, ostendendo, cui ante filij Dei conceptionem vota Deo virginitatis rationem, virum cognoscere impossibile erat, id semper illi impossibile, imo post talem habitum filium, multo magis quàm vnquam antea impossibile fuisse. Quod ad beatum Ioseph spectat, per locum à consequentibus, ex voto virginis, illius etiam votum, in necessaria non consequētia, eluxisse arbitramur. Quibus persuasi demōstrationibus hoc asserimus & credimus, te quoque persuasum iri, in Domino confidimus. Super omnia autem quantum Deo patri filij sui mater curæ esset, tecum seriò reputes oportet. Hoc vel ex eo videre facile est, quòd nihil sponsum eius Ioseph ne cogitare quidem permisit, quod vllam illi tristitiam, vel detrimentum afferre posset. Simul enim atque Ioseph, vel solum apud se, eam dimittere cogitauit, misso è cælis nuntio, huic Deus periculo statim occurrit. Missus est quippe ad eum angelus, qui hanc illi cogitationem eximeret, qui secretorum Dei participem & beatum

tum credendo faceret, qui eam ne dimitteret, qui maneret cum ea, persuaderet. Videre enim mihi videor simul atque in cælis scitum est, Ioseph occultam a grauida virgine meditari fugam, Deum sic suũ alloquentẽ nuntium audire, Periculum, inquit, magnum (ô Gabriel) filij mei matri imminet, eius sponsus de illa occulte dimittenda cogitat. Matura, quàm citius poteris ad eum peruenias, hunc enim indormit etiamnum cogitationi, neque expectes expergiscatur, atque ex seipso emigilet & excitetur à somno, sed subito, etiam in somnis, fac quæ nostra sit voluntas, quod nostrum super generis humani reparatione consilium, quódue decretum, quam primum intelligat, verbisque meis, ne eam dimittat, præcipias. Apparuit ergo Ioseph in somnis angelus, neue vlterius cum Maria coniuge sua manere timeat, Dei nomine iubet. Ex hoc vno Dei erga eam opere cætera discas. Huiusmodi siquidem, si animum tuũ meditationibus præparaueris, in nostras te facile rationes insinuabis, mecúmque Ioseph perpetuò virginem fuisse, firmiter deinceps credes. In huius libri laudem, & quam sit huius ætatis refutandis erroribus vtilis, dicturus nihil sum. Ad illius te lectionem remitto. In qua si quod tuum offendat animum quippiam occurrerit, ad Hyperaspisten illi adiunctum recurras oportet. Ne te autem ab illius longiori proœmio lectione retardem, valere te iubeo, Deum saluatorem, ac nostrarum seruatorem animarum precatus, te in æternum saluet & seruet.

Amen.

DE VIRGINIS GLORIOSAE, EIVSQVE sponsi Ioseph virginitate perpetua.

BEATAE VIRGINIS MARIAE perpetuam virginitatem, tria hominum genera oppugnant, Iudæi scilicet, Pagani philosophi, & hæretici Heluidiani. Aduersus Iudæos veteris testamenti testimoniis, aduersus Philosophos ratione, contra hæreticos, vtriusque testamenti agendum est testimonio.

Iudæi facilè conuincuntur ex illo Esa.8. Ecce Virgo cõcipiet, & pariet filium. Quod quidem testimonium licet aliò detorquere eorum conentur Talmudistæ & Rabini, tamen omni exceptione maius est argumentum, quod sumitur ex istis Prophetæ verbis dãtis hoc pro signo, id est miraculo, & prodigio domui Dauid. Non esset autem signũ seu miraculum vllum, si Virgo adolescẽtula conceptum ex marito filium pareret: Virgi-

nem ergo concepturam esse,& parituram filium in vanũ daretur pro miraculo ab ipso Propheta,nisi in sensu composito intelligerentur eius verba,de virgine existente simul grauida & viri nescia, simul matre & virgine.Sed nostrum non est nunc pr ositum, plura in obstinatos istos, duræque ceruicis homines dicere.

Philosophi demõstratione ad id credendum cogi quomodo possint, doceamus. Duo ponunt demõstrandi genera, quorum vnum vocant à priori,alterum à posteriori. Vnum ab effectis ad causam,alterum à causa ad effectus.Annitar vtroque modo non deprauati iudicij philosophis, perpetuam matris Dei virginitatem asserere.& primum demonstratione ab effectis ad causam vtemur, quæ quoad nos prior esse solet. Prius enim cognoscuntur vt plurimum effectus à nobis quàm causa. Prius cognita fuit eclipsis lunæ, quàm quæ esset illius causa sciretur: sed postquam multum quærendo inuētum, tandem est,interpositionem terræ inter solem & lunã illius causam esse:possunt nunc Astrologi hinc ad mille annos, quoties interpositura se est terra inter solem & lunam obseruando, certa prædicere scientia, quot eclipses sint futuræ lunæ, à causa

cau ſa ad effectus infallibili demonſtratione argumentando. Sic hac in materia facturi ſumus.

Primò conſiderabimus effectum, deinde inquire nus & inueſtigab'mus illius cauſam: d m cognita cauſa certam de virginita petua beatæ Mariæ habituri, qua ratione ſcientiam ſumus exponemus. Effectus conſiderandus, eſt perſuaſio virginitatis matris Dei, quam inuito reluctantique mundo, cunctiſque ſuis iunctis viribus reſiſtenti factam eſſe videmus, eóque tempore, quo eru ditior, ſapientiæque abundantia ſuperbior, atque ferocior erat. Victi quippe tandem fuere veritatis huius vi, potentiſſimi quondam imperatores Romani, & reges quique, cum per trecentos & eo amplius annos, huius veritatis profeſſores gladio & igni, exquiſitiſsimiſque perſequuti eſſent tormentis, atque ſupplicijs. Porro xere victrici manus, Philoſophi quique, oratores, & poëtæ, quãtumcunque reluctarentur, & contraniterentur. Infinita hominum millia adhæſerunt per tot ſæcula, adhærêntque etiamnum in hodiernum vſque diem huic veritati, idque adeò firmiter & cõſtanter, vt malint millies mori, quàm ab ea vel latum vnguem recedere, aut illam quoquo modo abnegare. Huic pro-

prio sanguine subscribere innumera martyrum millia non dubitauere, inter quos numerantur plures, qui illam antea omnibus eloquentiæ viribus oppugnabant, & euertere conabantur. De effectu dubitari nequit. Res ante omnium oculos posita est, ab omnibus conspicitur, tot habet assertores, & propugnatores per totum terrarum orbem, nihil vt magis desiderari possit. Restat ergo vt de causa persuasionis illius differamus, eamque diligentius peruestigemus. Omnino dicendum est, hanc vel diuinam habuisse sui esse causam, vel humanam. Nam à diabolo capitali illius, totiusque honestatis & castitatis inimico, originem habere, nulla ratione potuit. Humanam non sufficere vllam ad tale quid persuadendum causam, ostendere facile fuerit. Quæ enim philosophia, quæ eloquentia hominibus persuadere aliquando potuisset, aliquam simul esse virginem & matrem? An non effusissime ridebant philosophi quique, & oratores, & sapientes mundi huius, cum primum hæc eorum auribus veritas ingerebatur atque prædicabatur? An non facta, velut coniuratione, quicquid in rebus erat humanis potentiæ aut roboris in vnû conueniebat, ad resistendum, vique impediendum, ne quis huic veritati fidem adhiberet?

hiberet? Vide quid poterant humanitus contra imperium Romanum pauci piscatores, quoad sapientiam, literásque spectat humanas, indocti, simplices, & illiterati, pauperes, inerme ineloquentes. O[illegible] ni humano auxili[illegible] tuti veritatē han[illegible] nferebant mun do[illegible] ine vi cogebant, aut armis, ad eam credendam, cum è contrà ad non credendum illis cogerent omnium rerum publicarum iudices & magistratus. Nemini honores mundi huius pollicebantur, diuitias, aut delitias, quarum rerū cupiditas multos mendacio adhærere sæpissimè fecit facitq́, proh dolor, etiānum, cum contrà, credituris proponerentur pro diuitiis paupertas, bonorúmque proscriptio, pro honoribus cōtemptus, infamia, contumeliæ: pro delitiis carceres, cathenæ, vincula, tormēta, ignes, mors denique ipsa. Quis homo hominibus adeò cum ipsa natura euidenter repugnantē propositionem, quæ nulla probari ratione quibat, ex cuius persuasione nihil vtilitatis præsentis: sed omnium quæ in vita hac amantur bonorum iactura prouētura certo erat, persuadere vnquam potuisset? Persuasa tamen est, neque hoc negari potest. A sufficienti ergo diuisione argumentum ducitur, ad cognitionem causæ persuasionis huius. Nam

omnino fatēdum est eam, aut diuinitus, aut humanitus factam fuisse. Probatum autem est,quòd viribus humanis nullis fieri id poterat. Diabolus inimicis suis, qui eius regnū euertere missi erant, nulla ratione [illegible] silium ferre consensisse. Deus ergo prin[illegible] cipalisque causa est persuasionis hu[illegible] qua credimus Christi redemptoris nostri matrē, virginem fuisse simul atque matrem, qui cooperabatur prædicatoribus huius veritatis, eorúmque sermonem sequentibus confirmabat signis, Spiritúque sancto suo auditorum disponebat mentes, ad tam pium atque sanctū suscipiendum semen. Ab effectis itaque deuenimus ad cognitionem causæ. Impossibile erat talem, & tam nobilem effectū produci ab humana aut ab creata vlla causa. Nō poterat res potestatem omnē superans humanam, ab homine vllo, nisi diuinitus adiuto effici, perficive. Quo persuasu difficilior erat, eo clarius & euidentius originē habere illam cœlestem perspici datur. & quo plures pertinaciores, & potentiores habuit contradictores atque aduersarios, eo purior & nitidior euasit ex certamine, magisque suspitione caret omni. O quàm præclarè nobiscum factum est, cum vt sapiētum mundi huius, qui in sapientia Deū cognoscere noluerunt,





luerunt,sapientiã confunderet,dogmata nobis Deus dedit,sapientiã omnem superantia humanam,adeóque creditu difficilia,vt non nisi ab eo persuaderi possent, ea tamen per viles & [illegible]undum mundum, [illegible]iectósque homines [illegible]itis,& repugnan[illegible]us persuasa vo lu[illegible] [illegible]im suauiter [illegible]dit, vt de fidei nostræ veritate scientiam haberemus, non solùm fidem opinionémve ex coniectura aliqua natam. Volo dicere veritatem fidei nostræ,rem esse creatam,& de ea intellectũ non deprauatum, scientiam certissimam habere posse,siquidem scire est rem per causam cognoscere. Nam cum facillimum sit cognoscere persuasionis fidei nostræ, quæ est de incredibilibus secundum naturam, causam esse Deum, idque ex qualitatibus & circunstantiis huius effectus, ex quibus in consequentia necessaria infertur,quæ sit illius causa (tales enim qualitates habet & circunstantias, quæ cum non nisi à Deo produci potuisse euidentissimè demonstrant) ducimus deinde demonstrationem à causa ad effectũ, ad probandum infallibilitatem fidei nostræ sic [illegible]. Impossibile est D[illegible]

perpetua virginitate habemus, causa est, ergo vera infallibilisque est. Hæc demonstratio omni philosopho credenti Deum esse Opt. Max. euidentissimè fidei nostræ veritatē probat, & quo difficilius est creditu dogma aliquod fidei nostræ, eo euidentior ex [illegible] ad totius fidei nostræ [illegible] ationē elicitur [illegible] stratio. Quo difficilior est creditu, aut persuasu articulus trinitatis, aut articulus præsentiæ realis corporis Christi in sacramento altaris, aut is qui est de virginitatis & maternitatis Mariæ vnione, eo solidiora inde educuntur argumenta, tum ad fidei vniuscuiusque particularis articuli, tum in genere ad totius fidei nostræ probationem, & veritatem ostendendam. Ego enim, tantum abest vt ex incompræhensibilitate dogmatum fidei nostræ, vllo pacto scandalizer, vt nulla alia ex consideratione vehementius de illius veritate persuadear, in eáque confirmer. Nam vt ingenuè fatear, nulla scire ratione fidem nostram diuinam esse potuissem, atque ab ipso processisse Deo, nisi haberemus talia fidei dogmata, quæ dum conspicimus nulla hu-

inspiciosa hominum mens ad veritat[illegible] firmationem desiderare posfit. Si tantu[illegible] quæ naturali facilè probari ratione possent, aut experientia, credenda proponerentur, nihil d[illegible]inum, sed human[illegible] omnia fidem ha[illegible] [illegible] [illegible]am arbitra[illegible] [illegible] ergo nullam [illegible] [illegible] te veritatéque [illegible] nostræ, dubitandi haberemus occasionem, singulari occultóque sapientiæ suæ cõsilio, incredibilia secundum naturam dogmata nobis propo- nia Deus voluit, vt dum in illis persuadendis diuina se exerit potentia, à cognitione tam sanctæ causæ fidei nostræ sanctitatem, puritatem, veritatem, firmitatē, soliditatémque, scire quoque possemus, & quò tam sancta, veráque fides vocat & ducit, tota propenderemus spe, toto mentis põdere ferremur: essemus autem inexcusabiles, si vnquam ab illius auellèremur soliditate. Vides ergo, ô philosophe, & modicæ fidei Christiane, quàm solida demõstratione fidei nostræ veritatem in genere primùm demonstramus, & quomodo deinde generalem hanc demõstrationem in thesi, ad hypothesim, quæ de virginitate Mariæ est, probandam accommodamus. Scio, scio, beata Virgo, te solam ex hominibus quondã, conscíam testémque virginitatis tuæ fuisse. Scio ex eo quod, tibi

vir & sponsus matrimonio alligatus erat, difficilius persuasu futurum, te matrem virginémque simul fuisse. Scio te ausuram nunquam fuisse, tale quid de te prædicare: sed scio etiam certo expectasse te, suo [illegible] à Deo tempore persua[illegible]am atque probatu[illegible] iri, vt non minus sua[illegible] hoc potentiam [illegible]deret opere & diuinitatẽ, quàm antea fecerat, dum te matrem simul & virginem esse voluit imò ibi plus futurum erat difficultatis, quare & magis in eo diuina se ostensura virtus erat. Quando Virgo seruata es in conceptione filij, te sola teste & conscia, te non reluctante, te humiliter consentiente factũ id est. At in hoc persuadendo mundo tanta se obtulit difficultas, tot aduersarij, tot contradictores, tot repugnantes, tot resistentes: tam pauci consentientes, tantum est tot testium tuorũ effusum sanguinis, vt nihil magis arguat facti difficultatem, nihil magis ostendat Deo teste probatum, te matrem virginémque simul fuisse, persuasionémq; hanc diuinam non humanam esse, verissimã quoque, & sanctissimam consequenter eam esse. Congratulamur autem Virgo & mater huic tuæ gloriæ & fœlicitati, & te meritò beatam inter omnes mulieres, imò supra omnes mulieres nunquam prædicare cessabimus. Valeat





leat blasphemus Iudæus, valeat cum suis sophismatis & naturalibus impossibilitatibus, philosophus, & infidelis quisque. Nihil verius quàm quòd tu Virgo matérque simul fuisti. Nihil efficacius pers[illegible]sum, nihil euidentius [illegible]obatum, nihil [illegible] demonstratum [illegible]. A prima & in[illegible]li veritate, quã mentiri aut fallere impossibile est, probatum est virginitatem tuam cum ipsa maternitate mirabili concordia iunctam fuisse, quare & tam certæ fidei, tot hominum sapientũ millia proprio subscribere sanguine non dubitaúere. Dum consideramus ergo quid de tua virginitate, & quàm admiranda, à quibus & qualibus viris persuasa sunt, emicat demonstratio omni mathematica efficacior, ad probandam tuam virginitatem. Quis vni Dionysio Areopagitę prius inimico & reluctãti, vni Cypriano inimico & resistenti, & multis id genus hominibus doctissimis, & eloquentissimis philosophis & oratoribus, talia persuadere potuisset nisi Deus? Persuadere inquam, sic firmiter, vt postea mori pro talis fidei confessione non dubitarent. Quis vni Augustino prius inimico? Quis tam doctis hominibus quales erant Origenes, Iustinus, Cirillus, Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Basilius, Gregorij, imponere, vel quibus

bus artibus humanis, ad tam stupenda de matre Dei credẽda inducere potuisset? Deus solus necesse est fuerit huius fidei author & persuasor: quare & verissimã eam esse consequens quoque est. Atque hæc vna quidem ratio & demonstratio sufficere possit aduersus omnes Iudæos, Philosophos, E[illegible], & cæteros Antidicomaritas. Verũ propter obstinatos hæreticos, qui nihil credere volunt, nisi quod ex scripturę sacrę testimonio probati potest, conabimur quoque ex claro Dei verbo perpetuam Mariæ virginitatem comprobare. Id autẽ paucis facturi sumus, ostendendo illam votum emisisse perpetuæ virginitatis, ex quo sequitur cũm sanctissima fuerit, neque ausa fuerit vnquam votorum violare iura, perpetuò eam mansisse virginẽ.

Quòd perpetuæ votum virginitatis beata Maria virgo fecerit.

PRimùm admonitos velim omnes, nihil esse de Dei genitrice, neque cogitãdum, neque dicendum, neque de iis, quæ circa eam à Deo facta sunt, quod non vsquequaque sanctitatis eius respondeat excellentiæ, necnon & mysteriorum incarnationis filij Dei magnitudini, cuius rei gratia inter omnes à Domino electa fuit, quotquot vnquam tulit orbi

omnibus mulieres, Quare rara, præclara, singularia, magna, admirabilia sint oportet, quæcunque de ea Christianus quisq; dixerit, aut cogitauerit: Digna scilicet tantę matris, tantique filij ma[iest]ate & præstantia. Qui ergo de virginita[te e]ius pronunciaturus es virtute, nul[l]ius [alter]ius virginis cast[ita]tem, cum castitatis huius comparandam esse perfectione, intelligas velim. In summo enim integritatis gradu, virginalis eius castitas collocanda venit: sic vt credas nullam vnquã Deo gratiorem aut acceptiorem, vel fuisse, vel futuram esse aliquando, & quia virginitas perpetua melior est non perpetua, virginitas ex voto, & firmo perennitatis proposito, multò perfectior ea, quæ ex tali voto non est, vt hac in parte, sicut & in cæteris omnibus, cunctas superet & præcellat mulieres, eam virginitatis perfectissimæ & perpetuæ emisisse votum credamus oportet. Aliàs virginitatis virtute ei antecelluissent, quæ in Ecclesia Christi sine numero floruêre ex voto virgines, quod asseruisse, verbis contradicit Spiritus sancti, qui super omnes mulieres benedictam eam esse, per os prophetissæ testatus est. Cogita si inuita ad diuinos raperetur vsus, quàm parum eius Deo grata castitas fuisset. Non enim illi inuita placēt hominum seruitia. Hilarem

larem siquidem diligit datorē. Si inuita uolēsque ad hoc assumeretur munus, certè nō Dei fuisset gratia plena. quo enim gratiora Deo obsequia quis fecerit, eo magis Deo gratus, eiúsque gratia dignus efficitur. Sic plenitudini gratiæ in Maria, plenitudo respondebat virtutū, cuius virginitas si hac stituta gratiositate fuisset, vt sine illius voluntario voto & proposito, & cum eam viro concedendi deliberatione inquinaretur, vt ita dicam, & extenuaretur, vacua ex parte dicenda, non gratia plena fuisset. Inuita enim seruitia nullam apud Deum inueniunt, neque apud homines gratiā. Inuitū fuit eius seruitium virginitatis, si coacta à Deo, nō sponte sua virginem perpetuò elegisset esse, & si propositum aliquādo habuit votúmque cognoscendi virum. Vis argumenti in hoc con sistit, quòd coacta gratiā virginitas non habeat: quare & de virginitate seruanda non est datum à Deo præceptum, sed consilium, vt sponte suscepta gratiam habeat, quam vi extorta habere nullam potest. Est autem virginitatis virtus principaliter in mente, & sine voluntario mentis consensu, nullo modo virtutis rationē habet: tum quippe tantùm incepit integritas, seu virginitas corporalis Mariæ virtus esse, cum eam mēte vouit,

nullámque ex virginitate carnis gratiã apud Deũ inuenire potuit, donec eam virginitas sanctificaret mentis. Est autẽ virginitas mentis, votum de carnis integritate, castitatẽque ser anda. Quę autem pro certo tantùm tempe , seruanda vouetur, non eam habet gratiã ut meritũ, quod habet perpetuitatis decorata circunstantia. Hæc enim sola vera est virginitas, illa namque votum includit sibi contrarium, votũ scilicet cognoscẽdi virum, & propositum habet violandæ non seruandæ integritatis. Si Maria votum perpetuæ non emiserat virginitatis, deerat illi gratia, quam tale votum facientes & seruãtes, apud Deum inuenire virgines solent, qua gratia, si dum ab angelo gratia prædicatur plena, vacua fuisset, profectò non rectè gratia plena diceretur. Defuisset enim illi ad plenitudinem virginitatis perpetuæ voto correspondens gratia. Concludamus in propositiones superius positas rationes, ad hunc modum,

De matre Dei maxima & perfectiora quaque dicenda, sentiendáque sunt: virginitas cum proposito cognoscendi aliquando virum, indigna erat tanta matre, matre inquam Dei.

Maior est virginitas cum firmo nunquam cognoscendi virum proposito, quam qualibet alia.

Maria

Maria in omni virtutum genere omnes superauit mulieres.

Quæ diuisim cæteræ habent virtutum ornamenta, hæc simul habuit coniuncta.

Verba Spiritus sancti, Benedicta tu in mulieribus, omnes eam superasse mulieres, non solùm in donis Dei, sed & in virtutum perfectione docent.

Laudanda magis est virgo, quæ firmum habet nunquam cognoscendi virum, votum, quàm quælibet alia.

Inuitorum seruitia gratiam apud Deum non inueniunt.

Virginitatis virtus in mente principaliter consistit.

Non est virtus carnis integritas, sine virginitate mentis.

Certam & singularem gratiam apud Deum, vota Deo perpetua virginitas habet.

Hanc non habuisset virgo Maria gratiam sine perpetuæ virginitatis voto.

Non verè fuisset gratia plena, si virginitatis perpetuæ fuisset destituta gratia.

Ex his propositionibus sani & non infecti & deprauati iudicij Christianus, beatam Mariam votum emisisse perpetuæ virginitatis, in consequentia necessaria concludet.

Si de tempore in quo tale emiserit votum agitur

agitur, non dicam ego parum antequam desponsaretur illud eam fecisse, sed statim atque ad annos peruenit, in quibus ratione & electione vti potuit, in quibus virtutis capax esse cepit. Hoc ex iisdē rationibus, quibus & ... um demonstrauimus eam emisisse, probari potest. Maius enim est, & laudabilius, & maioris gratiæ apud Deum, statim ab ineunte ætate se Deo consecrasse, atque dedicasse totam, quàm in multos annos tantæ distulisse electionem virtutis, quàm per multos annos tam grata Deo caruisse virtute. Hoc plenitudini laudis defuisset Mariæ. Hoc plenitudini subduxisset gratiæ, qua plenam eam asseruit, è cœlis missus Angelus. Hoc eam à multis superari fecisset mulieribus. Quare cum eorum venia dixerim, qui aliter sentiunt, ego firmissime teneo, statim ab ineunte ætate simulatque virtutis cœpit esse capax, virginitatis virtute decoratā eam fuisse, eaque perfectissima, & omni ex parte sua integra. Credidere quoq; veras esse eorum sententias, qui votā eam Deo à parentibus fuisse ex maiorum referunt traditione. Quod parentū votum simulatque rationis capax esse cepit, simili confirmauit voto, se totam non diuisam, diuinis dedicans obsequiis optimā etiam tūm eligens sibi partem.

Plena enim Dei spiritu adolescentula, sciuit ab initio eligere bonum, & reprobate malum, eligere quod Deo gratius erat, & deserere quod minus gratum. Hæc afferete & do cere tot rationibus cogor. Cedunt, quippe magis ad filij Dei honore hominisq; vtilitaté quàm eorú opposita, imò hæc illius, ¸ ,ιmium extenuarent honorem. Gloria nãque filij est, habuisse integerrimã sanctissimã, castissimã, prudentissimã, sapientissimamque matrem. Quæ Deo assistere in throno suo aliquando debebat, vestitu antea deberat ornari deaurato, virtutũ mque omnium circumamicta varietate. Aliás quomodo digna fuisset, quæ in eodem cum Dei filio, perpetuò sederet throno? Quomodo digna, quæ Dei mater esset? Tantus honor maxima exigit ornamenta virtutum.

Hæc quisquis pio apud se corde reuoluerit, penitiusque dispexerit, facile intellecturus est quàm validum erit, quod ex Mariæ ad Angelum adducturi nunc sumus pro assertione probãda nostra, testimonium qua votum eam perpetuæ emisisse virginitatis, antequam ab Angelo salutaretur, asseueramus, & firmissimè credimus. Sed fere prætereram eam ratione, quam ex Dei iustitia, æquitate atque bonitate ad id persuadendum

dum adducere possumus. Deus enim homines nõ despotico sed politico regit imperio. à tyrannide autẽ prorsus alienus est. Quare nullam hominibus inferre vim aut iniuriam vellet. Non ergo diuinam decuisset maiestatem, virginem alio proclinantem, & aliud idque contrarium propositum habentem, nolentem, & inuitam, ad suos rapere vsus, ne vim illi intulisse diceretur. Quod ne eueniret virginem sponte sua virginitatẽ vouisse perpetuam, qui perfectissimus est in virginitatẽ cõsensus, & perfectissima sui ad diuinos tantum vsus dedicatio, dicendum est. Cũ itaque electa à Deo fuit vt esset filij eius mater, iam multò antea totam se Deo absque sui partitione aut diuisione vlla, voto consecrauerat perpetuę virginitatis. Quare cũ eam ad suos elegit vsus diuina maiestas, iure suo vsa est, quod spõtaneo voto in suum corpus & animam, iam illi deuotissima concesserat castissimáque virgo, cum firmissimo & cõstantissimo nullum vnquam cognoscendi virum proposito. Quod ita esse ex eius verbis clarissimè constat, quibus angelo filij conceptũ annũcianti sic respõdit, Quomodo fiet istud quoniam virũ nõ cognosco? Per quæ verba Virgo pudicissima, & rubeo verecundię flore pulcherrima, non de modo quem in cogno-

ſcendo virum ſeruare deberet, inſtitui petebat. Quę enim puella non præfrictę frontis iudicanda fuerit, ſi non dico ab Angelo, ſed vel ab homine aliquo probo, tale quid peteret? ſed impoſsibilitatē allegabat cognoſcendi virum. Eſt autem omnino duplex impoſsibilitas, vna facti ſeu naturæ, altera iuris. De hac dicit Iuriſconſultus, Hoc poſſum, quod iure poſſum. Maria naturę ſeu facti impoſsibilitatem allegare nulla ratione poterat, quandoquidem erat deſponſata viro. Vnde conſueto ordine naturę facilè vti & cæteræ virgines concipere, parereque filium poterat. In Eliſabeth erat impoſsibilitas ſecundum naturam: quia ſcilicet & iam vetula erat, & natura ſterilis: duplex certè impedimentum: qualia impedimēta Maria allegare non poterat, cum & iuuenis eſſet, & needum cognita viro. Relinquitur ergo quam allegabat impoſsibilitatem, iuris nō facti, aut naturę fuiſſe. Impoſsibile namque eſt homini probo leges tranſgredi diuinas, qui citius tormenta quæque mortémque denique ipſam patiēter tulerit, quàm ius deſerat, aut ęquum. Dicebat ergo beata virgo Maria, impoſsibile ſibi eſſe cognoſcere virum, quia id ſibi non licebat: non autem quia id fieri de facto non poſſet. Sed iam inquirendum eſt, ex quo iure illa cognoſcendi

gnoscendi virum procedebat impossibilitas. Nam cum liceret virginibus nubere maxime in lege veteri, imo ad nuptias nubiles ob maledictionem in eas latam, quæ semen non reliquissent in Israel, vrgerentur adolescentulæ: non potest ius vllum allegari, ob quod Mariæ non liceret cognoscere virum, nisi votorum seruandorũ diuinũ mandatum. Quæ quidem vota, licet antequàm fiant, liberum sit ea facere vel nõ facere quæ per illa vouentur, tamen vbi fides Deo data est per votum & certam liberamq́ue promissionem, damnationem sibi acquirunt votorum transgressores, eò, vt verbis vtar Apostoli, quòd primam fidem irritam faciunt. Quare & sapiens ait displicere Deo stultam & instabilem promissionem. Quæ votorum iura, cum optimè Virgo Maria nosset, impossibile sibi dicebat id facere, ob quod Deo displiceret, ob quod damnationem sibi acquireret. Impossibile transgredi votum, per quod se nunquam virum esse cognituram, firmo proposito receperat. Quare nunquam consensuram se iudicabat per hæc verba in filij conceptionem, nisi saluo id votorum iure, salua Deo data fide, salua virginitatis Deo dicatę integritate, fieri posset. Quam ob rem donec ab angelo instructa fuit, quod

salua virginitate, per spiritus sancti operationem esset filium conceptura, nunquam in verba cõsensit Archangeli. Tantę firmitatis, & constantiæ eius erat, de seruanda perpetua virginitate propositum. Tantum est, & indissolubile votorum ius & vinculum. Vides vt beata virgo noluit, ne Archangelo quidem, etiam à Deo misso, consensum vllum in præiudiciũ præbere voti virginitatis. Vides, vt Deus maluerit seruata præter naturam matris integritate, ex virgine nasci, quàm contra votorum ius fieri quicquam permitteret. Maluit naturę violari, quàm sacra votorum iura. Noluit in ecclesia vllum relinquere violati voti exemplum, ne quod sibi inde patrocinium, votorum transgressores arripere possent. Beata virgo gratia & Spiritu sancto plena, intelligit impossibile esse contra votum castitatis virum cognoscere. Quo spiritu ergo aguntur, qui nostro tempore votorum violant iura, virginibúsque sacris sacrilega vt ineant coniugia, authores sunt, & incentores. Paulus vt esset Deo & hominibus fidelis, consilium dat virginibus, se totas Dei seruitio dedicent. Lutherus iis, quæ Diui Pauli sequutæ consiliũ se Deo dedicarant, cõsulit, fidem Deo fallant, tam sanctum deserant propositum, atque contẽpto
cœlibatu

cœlibatu' ad matrimonia sacrilega aspirent. Quo ergo spiritu nisi cõtrario illi & aduersario, quo Paulus loquebatur actus, ipse talia docet & cõsulit? Si Paulus fidelis qui cõsiliũ tã salutare dat virginibus, nõnne infideles Deo & virginibus, qui cõtraria cõsilia earum ingerunt auribus? Non eiusdem sunt fidei Paulus & Lutherus, nõ eiusdem mater Dei & Lutherus. Hęc non licere transgredi vota constantissimè credidit. Hæc impossibile esse ea soluere exertè affirmat. Lutherus totum oppositum docet. An non ergo diaboli minister est? An non spiritu pessimo actus talia docet? Sed abeat in malam rem cũ incestuosis sacrilegisq; suis connubiis. Nos virgini plus credamus, quàm illi. Nam etiam si Angelus de cœlo euãgelizasset ei, quòd debere: transgredi votum de nõ cognoscendo vnquam virũ factum, non erat illi credituга, imò eum erat pro anathemate habitura. Idem omnes virgines sacræ exemplum sequantur. Nam etiam si Angelus esset è cœlo missus, & euangelizaret idem quod Lutherus cõtra votorũ iura docet, vt anathema esset habẽdus. Impossibile enim est virgini cognoscere virũ, post factũ de nunquã cognoscẽdo virum votum. Impossibile inquam, quia non licet, quia displicet Deo: quia damnationem sibi

acquirit quę id facit. Iam itaque satis superq; ex clarissimo verbi Dei sensu constat, virginem perpetuæ virginitatis emisisse votum, nunquã autem illud trãsgressam eam fuisse, itidem verũ est quia non solùm ante conceptum Dei filiũ & partũ, sed etiã postea semper impossibile illi fuit cognoscere virum. Imò, vt ita dicã, impossibilius post conceptũ Dei filium, quàm vnquam antea. Quomodo enim audebit templum Dei, in quo realiter & corporaliter per tot menses Deus habitare dignatus est, homini mortali polluendum, violandúmque permittere? Quomodo post visam sibi seruatã per miraculum virginitatem, eámque Dei semel vsibus consecratã, audebit tam singulare pignus prophanandum alteri concedere? Quomodo prudens virgo, vel quo animo tãto se miraculo prę ter naturæ leges virginitatis, tantóque priuilegio aliquando priuatam videre posset? Qua ratione, quæ ne Angelo quidem è cœlo misso, si de cognoscẽdo viro egisset, præbitura vnquã consensum erat vni Iosepho ex terra nato, post genitũ ex se Dei filium, post experientia certa cognitum præseruationis suæ miraculum assensum violandæ præbitura esset virginitatis? & quomodo Iosephus qui antequã sciret eam ex Spiritu sancto

sancto grauidam, timuit accipere eam in coniugem, post visa & cognita tanta miracula & mysteria, vxoris loco eam habere audebit, ex eáq; liberos postea suscipere? Quàm mihi desipere videntur, quàm sensu carere communi, qui talia cogitare aut dicere audent? scilicet, Deus cui tanta fuit de seruanda matris suæ integritate cura, postea viribus eam permissurus est hominis mortalis: quasi verò in Ioseph tantum gratiam fieret, in præseruanda eius virginitate miraculum, & non vt perpetuò æternúmque virgo esset. Causa miraculi semper durabat, quare & miraculum perpetuum esse perennéque oportuit. Bilem hic mihi modicitas fidei eiusmodi hominū mouet, qui cum hanc audiat Dei matrē esse, adeò tamen existiet de ea sentiunt, & ita irreuerēter loquūtur, ac si filiis alicuius hominis mater, non verbi, non filij Dei fuisset. Erige altius mentem, & cogita cuius mater sit hæc virgo, & causam perquire præcipuam, ob quam inuitis naturæ legibus seruata est illi cum maternitate virginitas. Nónne prima tanti miraculi causa fuit, quòd vt filij Dei mater esset, designata à Deo erat? Quæ quia perpetuò Dei mater futura erat, nónne congruum quoque est perpetuò virgo sit? Ideo sicut antequam Dei conciperet filium, virgo

semper fuit, nullúmque antea genuerat filiũ, ita post tantæ maiestatis filium ex ea genitũ, indignum est cogitemus aliquem postea habuisse eam filium. Sacrum istud pignus corporis Christi deitati realiter vnitum, sicut in sepulchro positum fuit nouo, in quo nemo vnquam antea sepultus fuerat, sed neque postea sepultus fuit: ita in vtero conceptum fuit, in quo nullus vnquam antea cõceptus, sed neque postea concipiendus erat. Vterus enim ille deiferus, porta illa sanctuarij clausa erat, quam Propheta in spiritu vidit, de qua
Ezec. 44 dixit ad eum Dominus. Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniã Dominus Deus Israel ingressus est per eam: eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea, vt comedat panes coram Domino. Principis vsui, ob reuerentiam & honorem illi debitum aliqua reseruantur, quæ non sunt aliis communia, & quibus vti aliis non licet. Quis dignus in eodem cum Dei filio concipi vtero? Quis dignus per illam mundum hũc ingredi portam, per quam Dominus Deus Israel ingressus est? Quis in illo throno sedere & comedere panem, in quo per nouem ad minus menses, princeps ipse Dei filius sedit, panémque comedit coram Domino? Panem enim

enim comedere, quocunque sustentari nutritique cibo significat. In hac porta sedit, & nutritus fuit Dei filius. In Virginis gremio sæpius panem coram Domino comedit, & audebit quisquã dicere, alium postea quempiam in eadem sedisse, aut comedisse panem porta? Quantoscunque sensus mysticos his Prophetæ dederis verbis, profectò literali sensu de Christo & Maria intelligenda sunt. Sanctuariũ Dei Ecclesia est, porta per quam Deus Israel ingressus est Ecclesiã, Maria est, quæ ideo clausa semper esse debebat, id est, perpetuò virgo: & vir non debebat ingredi per eam ob reuerentiã Dei Israel. Certè quomodocunque tandem verba hæc cõtentiosius exponere voluerit hereticus, ratio quam Deus Propheta affert, cur porta quam vidit clausa semper esse deberet, eadem est cum ratione, quam ad probandum perpetuam Mariæ virginitatem adduxi. Nullus enim vir ingredi in hunc mundũ per eam debuit, quandoquidem Dominus Deus Israel per eam ingredi dignatus est. Illi soli seruabatur clausa ante eius in mundum aduentum, & post eius egressum, & in ingressu clausa quoque semper fuit. Horret animus, vel solum cogitare quempiam in illo sedisse vnquam vtero, in quo conceptus, ex quo natus est Rex ille

regum,

regũ,& dominus dominantiũ,cuius est orbis terrarũ & omnia quæ in eo sunt, cœlum, & omnia quę in eo sunt. Næ impudens inuere cundúsq; fuerit,qui talia dicere audit. Sed eò redeat oratio vnde digressi fuimus. Dicebamus enim præcipuã fuisse causam,cur perpetuo virgine Mariã seruatã Deus voluit,quod ipsa electa ab eo erat,vt filij sui mater esset. Hæc prærogatiua matri Dei iure debebatur, ne vt cõmunis hominis mater contemptui à quoquã haberetur. Eligebatur vt sanctissimũ & pretiosissimũ Christi corpus virginalibus contrectaret manibus,vt Deũ ferret in vlnis, in gremio foueret. An nõ singularis ergo in ea puritas,raráque requirebatur sanctitas? Si terra in qua apparuit Mosi Dominus ex rubo, tam sancta ob Dei præsentiam erat, vt iuberetur Moses auferre calciamenta è pedibus, antequam propius ad locum accederet vbi rubus ardebat & non cõburebatur: quanta exigenda erat in Maria sanctitas & puritas, quæ Deum ipsum manibus contrectatura toties erat? Terram enim illam sanctam esse oportuit, ex qua caro illa formanda erat, quæ Deo in vnitate coniungeretur suppositi. Terra namque hæc rubum illum tulit,genuit,& aluit,ex quo Deus hominibus postea loqui dignatus est. Sed quid? In immensum

mensum creturus liber esset, si omnes huc afferre vellem rationes, quas ad probandum Mariæ virginitatem colligere ex scripturis, sanctisque doctoribus possem. Sed alio properanti hic orationis huius succidendum filum fuerit. Nihil enim aliud propositum habebamus, quàm ex claris ostendere Dei verbis, beatam Mariam perpetuæ virginitatis ab ineunte ętate, & antequàm desponsaretur emisisse votum. Per quod votum impossibilitata (liceat mihi sic loqui) perpetuò ad cognoscendum virum erat. Quo sic efficaciter euidentérque probato, corruant necesse est quęcunque in contrarium afferre conati Eluidiani fuerint, quorum confutationem amplissimam apud Diuum reperire est Hieronymum, in eo quem contra Eluidiũ scripsit libro, post quem eadem de re loqui actum agere esset, & homines à tam eleganti opere legendo per nænias auertisse nostras. Hic tamen si videbitur amicis cõfutationes inseri poterunt ineptiarum Eluidij, verbis ipsius Hieronymi in eorum gratiam, qui librorum eius copiam non habent, qui adeò eleganter copiosèque contraria quæque euertit, vt nihil magis desiderari hic possit. Quod hic pręstitimus Diui Hieronymi tractatui deesse videtur, qui cum totus esset in reiiciendo &
refutando,

refutando, quæ contra perpetuã Mariæ virginitatem ab aduersarijs adducebantur, hanc causæ prætermisit partem, qua ex claro Dei verbo asserenda erat perpetua illa virginitas, sufficere arbitratus ad eam asserendam contraria reiecisse quæque. Nos è contrario toti in hoc fuimus, vt ex claro Dei verbo Mariã votum emisisse perpetuę virginitatis ostenderemus. Nam hoc probato, euidentissimè atque in consequentia sequitur necessaria virginitatis illius perpetuitas. Sequitur quoque ficitia esse, meráque sophismata, quæcunque matris Dei aduersarij afferre in contrarium possent, in falsóque sensu adduci ab eis sententias illas scripturarum, quibus veritatis annititur apparentiam errori conciliare suo. Corruunt enim omnia eorum machinamenta ipsa veritatis manifestissimè vi, vt superfluus videatur esse labor, quẽ in illis absumeremus euertendis. Vnum hic factum cupiebamus, ipsam Mariæ virginitatis perpetuitatem ex puro Dei verbo in claram educere lucem, etiam vel à lippis & tonsoribus conspiciendam. Quod potentissimè efficacissiméque præstitisse nos arbitramur. Solidissima autem iecimus fundamenta, quibus beati quoque Ioseph sponsi Mariæ virginitatem superstruere perpetuã possimus, quã
ex

ex eodem verbi Dei fonte in consequentia elicituri sumus necessaria. Hoc enim ostēso, quòd perpetuæ voto virginitatis seipsam Deo Maria consecrarat, euidentum, me quoque spero simili se voto astrinxisse Deo, & eius sponsum Iosephum. Verùm non abs re fuerit, si antequàm hanc aggrediamur disputationem, antiquorum aliquot patrum de voto virginitatis Mariæ testimonia, in medium adduxerimus, quo quæ diximus firmiora, gratioráque pio reddantur lectori.

Beda exponens ista Mariæ ad Angelum verba, Quomodo fiet istud, quoniam virum nō cognosco? votum illam emisisse virginitatis, satis apertè docet, cum ait, Propositum suæ mentis reuerenter exposuit, vitam scilicet virginalē se ducere decreuisse. Quę quia prima fœminarum tantæ se virtuti mancipare curauit, iure singulari pręceteris beatitate meruit excellere. Quomodo inquit, fiet istud? Non ait, Vnde hoc sciā, sed quomodo fiet inquit: quoniam virum non cognosco. Ordinem videlicet obsequij cui subdatur inquirens, non autem signum, cui credat flagitans. Neque enim decebat electam generando Deo virginem dubiam diffidentia, sed prudentia cautam existere, quia nec facilè poterat homo nosse mysterium, quod in Deo manebat

manebat à sæculis absconditum. Quia ergo legerat, Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium, sed quomodo id fieri posset non legerat, meritò iis credula quæ legerat, sciscitatur ab Angelo quod in Propheta non inuenit. Et in 11. cap. eiusdem, exponēs illa verba, Beatus venter qui te portauit, Mariam semper virginem vocat. Diuus August. lib. de sancta Virginitate, cap. 4. eam virginitatis fecisse votum multis declarat verbis, vbi sic ait, de eius virginitate loquens, Ipsa quoque inquit, Virginitas eius gratior & acceptior: quia non eam cōceptus Christus violaturo, quam conseruaret ipse præripuit, sed priusquàm conciperetur, iam Deo dicatā de qua nasceretur elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtum annuncianti Angelo Maria reddidit. Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod profectò non diceret, nisi Deo virginem se antè vouisset, sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto, non violenter ablaturo, sed potius contra violentes custodituro, quod illa iam vouerat. Quāquam etiam si hoc solùm dixisset, Quomodo fiet istud, nec addidisset: quoniam virum non cognosco, non quęsisset vtique promissum sibi filiū, quomodo fœmina paritura esset, si concubitura

cubitura nupsisset. Poterat & iuberi virgo permanere, in qua Dei filius formã serui congruenti miraculo acciperet, sed exemplo sanctis futura virginibus, ne putaretur sola virgo esse debere, quæ prolem sine concubitu etiam concipere meruisset, virginitatem Deo dicauit, cum adhuc quid esset concepturã nesciret, & in terreno mortalique corpore, cœlestis vitę imitatio voto fieret non præcepto amore eligendi, non necessitate seruiendi. Christus nascendo de Virgine, quę antequã sciret quis de illa fuerat nasciturus, virgo sta tuerat permanere, virginitatem sanctam approbare maluit, quàm imperare. Ac sic etiã in ipsa fœmina, in qua formam serui accepit, virginitatem esse liberam voluit.

Sermone 2. de Virginis natiuitate introducit Mariam sic Angelo loquentem, Procedat iam ad oculos hominum speciosus forma præ filiis hominum, procedat velut sponsus de thalamo suo, quia secura facta sum de proposito meo. Et in eodem sermone introducit Mariam respondentem quærenti quomodo ad hoc peruenerat, vt mater esset Dei, in hæc verba, Quæris à me quod obtulerim munus, vt mei mater efficerer creatoris. Oblatio mea est virginitatis promissio, non à me mihi data, sed ab ipso mihi authore bo-

norum omnium concessa.

In Enchiridio cap. 36. Christus ait, sicut vnicus patris, ita vnicus matris est filius. & in eodem lib. Sunt qui dicunt quòd sancta Maria habuit filios ex Ioseph, post partum Domini, quod nephas est credere, quia ipsa est porta quam vidit Propheta in domo Domini clausam, de qua dicitur, quòd Dominus Israel ingressus est per eam, & semper esset clausa. Vbi euidenter ostendit nobis, quòd sancta Maria semper virgo fuerit, virgo permanserit, virgo antè partum, virgo in partu, virgo post partum. Concepit & virgo est, lactat & virgo est.

Diuus quoque Bernardus homil. 4. super Missus est, exponens hęc verba, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. ostendit beatam Mariam votū emisisse perpetuæ virginitatis, dicēs, Primò quidem prudenter tacuit, cum adhuc dubia cogitabat, qualis esset ista salutatio, malens nimirum humiliter non respondere, quàm temere loqui quod nesciret. Iam verò confortata & bene premeditata Angelo quidem foris loquēte, sed Deo intus persuadente, erat enim Dominus cum illa, dicente Angelo, Dominus tecum: ita ergo confirmata, fide scilicet depellente timorem, lętitia verecundiam, dixit ad Angelum,

Angelum, Quomodo fiet istud, quoniã virum non cognosco? Non dubitat de facto, sed modum requirit & ordinem. Nec enim quærit an fiet istud, sed quomodo. Quasi dicat, Cum sciat Dominus meus testis cõsciẽtiæ meæ, votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, ut fiat istud? Si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de proposito, fiat tamen voluntas eius. Sin vero virgo concipiam, virgo & pariam, quod utique si placuerit ei, impossibile non erit, tunc scio verè: quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Hęc Bernardus.

Amphilocius Iconij Episcopus, vir admirandæ sanctitatis, ad quem suos de Spiritu sancto libros Diuus scripsit Basilius, homil. in purificationem Dei genitricis Mariæ, de natura eius virginea loquẽs, sic ait, Animaduerte & prudenter intellige, quicunque de virginea illa natura verba facis, quòd scilicet nullo modo virginalis illa porta patefacta sit, eius prouidentia & voluntate, qui ante à in ipsa conceptus est. Hoc enim futurum prædixit spiritus sanctus, cum per prophetam dixit, Hæc porta clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam. Quoniam Dominus Deus Israel ingredietur &

egredietur per eam, & porta ipsa erit clausa. Quantum igitur pertinet ad virginalem naturam, virginis claustra nullo modo aperta sunt, quod vero pertinet ad potentiam genitι Domini, nihil clausum, omnia aperta, nihil quod impedimentum afferre potuerit, cum omnia Domino ipsi sint reserata.

Gregorius quoque Nissenus sermone de sancta Christi natiuitate, exponens illa verba Mariæ ad Angelum, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, sic ait, Quid igitur Maria? Audi puræ virginis vocem. Quomodo fiet mihi hoc, quoniam virum non cognosco? Angelus partum denunciat, & illa virginitatem amplectitur, castitatem angelicæ præferens apparitioni: ac neque rationem expeditam habet, cur Angelo non credat, neque ab institutio disce dit: interdicta mihi, ait, est viri consuetudo, quo pacto hoc mihi côtinget, quandoquidẽ virum non cognosco? Hæc Mariæ vox demonstrat esse vera, quæ per occultam illam historiam traduntur. Nam si nuptiarum cau sa assumpta erat à Iosepho, quomodo Angelum de partu prædicentem, quasi re noua atque insolita obstupefacta, auersata esset? quum prorsus speraret, se quoque ipsam aliquando iuxta legem naturæ matrem esse futuram

turam? Sed quoniam Deo dicatam,& consecratam carnem veluti sanctū quoddam donarium intactam seruari oportebat: propterea etiam si angelus sis, inquit, ac de cœlo veneris, etiam si supra hominem sit id, quod apparet, attamen vt virum cognoscam, fieri non potest. qui ergo mater ero absque viro? Iosephum enim spōsum quidem noui, virū autem non cognosco. Quid igitur sponsæ conciliator ac separator Gabriel? Quænam vela puris & impollutis nuptiis, adhibet & obtendit? Spiritus sanctus, inquit, superueniet in te,& virtus altissimi obumbrabit tibi. O beatum illum ventrem, qui propter excellentiam puritatis, animæ bona ad se attraxit. Nam in cæteris quidem omnibus vix anima pura Spiritus sancti præsentiam capit: hæc verò caro receptaculum spiritus fit.

Quod sæpius diximus virginitatem non esse virtutem, neq; gratiam apud Deum inuenire, nisi fit ex voto & proposito mentis, neque præferendam esse nuptiis earum virginitatem, quæ nuptias habent in voto & desiderio, ex Augustino quoque probatur qui li. de sancta virginitate. cap. 11. sic scribit, Nec nos inquit, hoc in virginibus prædicamus, quòd virgines sunt, sed quòd Deo dicatæ pia continentia virgines. Nam quod

non temere dixerim, fœlicior mihi videtur nupta mulier, quàm virgo nuptura. Habet enim illa iá quod adhuc hæc cupit, præsertim si nondú vel sponsa cuiusquam sit. Illa studet vni placere, cui data est, hæc multis, incerta cui danda. Hoc vno pudicitiam cogitationis defendit à turba, quòd non adulterum, sed maritum quærit in turba. Et tandem concludit eam solam, quæ vouit virginem coniugatæ merito præponi. Et in lib. de bono coniugali, Continentia, inquit, non corporis sed animi virtus est. Virtutes enim aliquando in opere manifestantur, aliquando in habitu latent. Et capit. 8. de sancta Virginitate. Nulla carnis fœcunditas sanctæ Virginitati, etiam carnis comparanda est. Neque enim & ipsa quia virginitas est: sed quia Deo dicata est honoratur, quæ licet in carne seruetur, spiritus tamen religione ac deuotione seruatur. Ac per hoc spiritalis est etiam virginitas corporis, quam vouet & seruat continentia pietatis. Hæc Augustin.

Hæc dicta sint, vt intelligamus beatam virginem Mariam si non fuisset Virgo ex voto, sed tantùm virgo nuptura, neque meritum, neque virtutem habituram fuisse virginitatis: neque gratiam etiam tantæ virtuti respondentem. Quod bene cōsideratum oportuit,

ad intelligendum quomodo, ex verbis Angeli Mariam gratia plenam asserentis, optimè probetur virginitatis eius votum.

Secundò, Ex verbo, Dominus tecum, ad idem probandum sumitur argumētum, dum reputamus non decuisse vterum illum, per quem in orbem terrarum primogenitū suum introducebat Deus alteri cuipiam aperiri, vel templum illud sacratius, in quo sancta sanctorum per nouem mensium seruanda spatiū erant, alteri dedicari vsui. Vterū in quo Deus corporaliter habitare cum omni diuinitatis plenitudine dignatus est, à mortali prophanari homine non licet. Hæc ratio, prophetæ quoque fulcitur verbis superius allegatis de porta Sanctuarij semper clausa, ob id quòd solus dominus per eam ingressurus esset.

Tertiò, Rursum eam in omnibus virtutibus cæteras antecelluisse, quotquot vnquam habuit mundus, aut habebit virgines, credendum est, vt qualiter ex verbis Angeli dicentis, benedictam eam esse inter omnes mulieres eius probetur Virginitas, clarius cognoscamus. Licet enim gratia non cadat sub meritum, eius tamen augmentum sæpius ex merito pendet: est autem benedictio augmentum boni. Certè maiores ad gratiam dispositiones & præparationes eam habuisse asseren

dum est, quàm vlla alia h ibuerit vnquam fœmina. Datur enim gratia maior aut minor secundum maiorem aut minorem cordis humani dispositionē. Loquor de gratia gratum faciente. Implet namque hominem secundū totam mentis capacitatem. Profluens, inquit Cyprianus ad Donatum epistola prima, largiter spiritus, nullis finibus premitur, neque coercentibus claustris, intra certa metarum spatia refrenatur. Manat iugiter, exuberat affluenter. Nostrum tantùm sitiat pectus & pateat, quantū illuc fidei capacis afferimus, tantum inde gratiæ inundantis haurimus. Hæc ille. Vnde concludimus quanto capacius fide, & pietate cordis sui vas Maria effecerat, tāto etiam plus inundantis hausit spiritus Sancti gratiæ, ob quod, & maiorem meretur super omnes mulieres laudem. Hæc si Virginitatis virtute omnes non superaret virgines, non esset dicenda super omnes mulieres benedicta.

Quartò, Ex verbo, Benedictus fructus ventris tui, argumentum ducitur ad probandam Virginitatis eius & puritatis præstantiam, cuius fructus ea est dignitas, quòd non nisi ex tali matre nasci eum conueniebat. Singularitas fructus, singularem habeat oportet arborem. Arbor bona bonum, melior meliorem:
opti

optimum autem fructum, non nisi optima ferre potest. Fructus vitæ, ex arbore nascitur vitæ, cui mors nūquam dominata fuerit. Benedictus fructus, ex arbore non nascitur aliquando maledicta. Vt fructus arbori, sic fructui respondeat arbor. Non potest arbor mala bonos facere fructus. Non potest arbor mortis, fructum edere vitæ. Maledicta nō potest arbor benedictum proferre fructum. Ex bonis bona, ex optimis optima producuntur. Christus ergo optimus vitæ fructus ex superbenedicta nascitur matre éxque optima & sanctissima arbore.

Quintò, Ex verbis Euangelistæ dicentis Mariam, in sermone turbatam angeli fuisse argumentum ducitur votę Deo Virginitatis. Si enim virum agnitura nupserat, si spe prolis habendæ despōsata viro etatan non gaudere potius, quàm turbari debuerat ad vocem Angeli filium promittentis? Quod lætius nuptæ nuncium afferri posset? Quid iucundius audiri poterat, ab illis maxime mulieribus, quæ maledictioni infamiæque subiacebant, si gentem suam edita aliqua prole non multiplicassent, & quibus sterilitas magna pœna erat? Non turbata ergo, sed læta ad tam iucundum nuntium virgo fuisset, si votum non obstitisset Virginitatis, cuius seruandæ

tâta erat cura & solicitudo Mariæ, vt ad quoslibet paueret afflatus, ex quibus præiudicium aliquod afferri virginitati vel leui coniici suspitione posset.

Sextò, Ex verbo illo Mariæ, Quomodo fiet istud, etiam si nihil aliud adiecisset, similiter quoque ratione voti virginitatis Mariæ colligitur constantia. Neque enim si cum spe & proposito cognoscendi virum nupsisset, petere illi ab angelo licuisset, quomodo esset concubitura viro. Etenim inuerecundum nimis id fuisset.

Septimò, Ex verbo, quoniam virum non cognosco, manifesto manifestius eius quoque perpetuæ Virginitatis astruitur votum, vt ex superioribus satis superque patet. Nihilominus quam superiori anno 1576. mense Octobri Aquilam proficiscens, dum inter altissimos Sannitum montes iter haberemus, in ista Mariæ verba velitationem meditabamur, & cum ad diuersoriũ peruenissemus, interim dum cœna parabatur, scripsimus: hic inserere libet, velut in qua prædicta verba clarius exposuisse me, quàm in præcedentibus existimo.

SVBTILISSIMA IN VERBA Mariæ ad Angelum & Angeli ad ipsam velitatio, per quam quomodo virginitatis perpetuæ votum eam emisisse, clarissimè ex puro Dei verbo probetur, palam ostenditur.



Vòd perpetuæ votum virginitatis Maria emiserit, ex Angeli ad eam verbis, quibus ipsius, Quomodo fiet istud, respondit, euidentissimè probatur, si causa cur, & ad quem finem talia verba Angelus dixerit, pressius cōsideremus. Non enim dubium est, quin Angelus optimè quid beata virgo, per suum Quomodo, dictum vellet, intellexerit, & quin Mariæ verba, causa illi sic loquendi fuerint. Intellexit quippe quid eam, ne in sua consensum verba præberet, remoraretur, quidue difficultatis obuceret. Et ideo nemini dubium esse debet, quin in quem collimaret finis, & scopus fuerit, quam Maria proponebat difficultatem, è medio tollere. Si quorsum ergo Angeli verba tendant rectè perpenderimus, quis fuerit verborum Mariæ sensus, quibus Angelo respondit, dicens, Quomodo fiet istud, quoniam virũ non cognosco? facillimè clarissiméque intelligemus. Etenim quin Angelus per sua posteriora verba totus in hoc esset,

vt Mariæ,salua ipsam virginitate cõcepturam pariturámque esse, atque hoc factu deo facillimum esse, deumq; vel ipsis naturæ legibus inuitis,id facturũ esse,persuaderet. Vnde virginem euincitur totam super virginitatis votum difficultatem, per ista sua verba reiecisse, quæ profecto nulla futura erat,si virginem se tantùm sine voto esse allegasset. Neque enim opus fuisset,imo vanum omnino fuisset, huiuscemodi verba, Spiritussanctus superueniet in te,& virtus altissimi obumbrabit tibi:quod enim nascetur ex te sanctum,vocabitur filius Dei. Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa cõcepit filium in senectute sua. Et hic mensis est sextus illi,quę vocatur sterilis,quia nõ erit impossibile apud Deum omne verbum, Mariæ verbis opponere. Vnico nempe verbo omnem tunc è medio difficultatē sustulisset, sic illi dicendo : Etsi hactenus virgo virum non nosti , eum tamen cognoscas deinceps oportet, ex quo cùm iuuencula sis, & viro nupta, aliarum more puellarum concipies, matérque efficieris. Non vnum Maria dicebat, & aliud Angelus intelligebat, neque aliò Angeli verba tendebant , quàm vt pertinenter ad id, quod virgo allegabat , responderet, & quod eius remorabatur consensum , è medio tolleret, quo optatum sua legatio assequeretur

retur finitum. Si enim super eo tãtùm nectetet moras, quòd nõdum à viro cognita esset, vel quia quomodo virum cognoscere deberet, ignoraret, si aliquid, quod secundum naturam impossibile factu esset, allegare nõ intendisset, vt quid Angelus ad Spiritussancti superuentionem, virtutis altissimi obumbrationem, miraculosam sterilis conceptionem, atque immensam Dei omnipotentiã allegandam, recursum habuisset. Si de qua agebatur, filij conceptio secundum naturæ leges fienda erat, neque aliud quicquam præterea dictum Maria vellet frustra, & sine causa Spiritũsanctum, altissimi virtutem, Dei omnipotentiã, in hac se conceptione exercituros esse dixisset. Frustra sterilis, contra naturam conceptum in exemplum attulisset, si de nulla præter & contra naturam fienda re, inter eos ageretur, vt quid nihil impossibile Deo esse allegaret, si non ex verbis concepisset Mariæ dicere eam voluisse, sibi non licere cognoscere virum, & ideo alio modo quàm naturali, filij, de quo agebatur, conceptionem fieri debere, siquidem in eam velit cõsentiat? Ex finalium notitia causarum, certa rerum scientia paratur. Bene perpendisse, ad quem finem Angelus ista verba protulerit, certam verborũ Mariæ, quibus per ea respondetur, intelligẽtiam parit.

parit. Allegat Angelus Spiritumſanctum ſuperuenturum in eam, virtutem altiſſimi, cui nihil eſt impoſſibile, conceptionem hanc operaturam eſſe, neque mirum videri debere Mariæ, ſi hoc in opere, ſingulari, Spiritusſancti ſuperuentione, atque altiſſimi virtutis obumbratione opus ſit, quandoquidem id exigant naſcituri ex ea filij ſanctitas & maieſtas. Adducit in mediũ factum à Deo circa vetulam ſterilem miraculum, Deo nullam rem impoſſibilem eſſe conſiderandum proponit. Vt quid? Ad quem finem? An quia nōdum ſe cognitam à viro eſſe, vel quomodo virum cognoſcere debeat, ignorare ſe Maria dixerat? Nihil minus. Tam humilis quæſtio; tam altum reſponſum non meretur. Ad cognoſcendum virum, vel ad docendum quomodo cognoſci debeat, non opus eſt ſingulari aliqua Spiritusſancti ſuperuentione, non virtutis altiſſimi obumbratione, non opus eſt, Dei ſe omnipotentia in tam facili ſecundum naturã exequendo opere, exerceat & exerat. Aliò ſanè Mariæ verba tendunt. Et quorſum? Dictum certè voluit tale eſſe ex parte ſua ne concipiat obſtaculum, vt ordine naturæ, diuino ſeruato iure, impoſſibile ſit illi filium concipere. Neceſſarium ſcilicet eſſe, ne diuinum

violetur ius, miraculum hic contra naturæ leges fiat & totus in hoc Angelus est, vt & fiendum, & quomodo, quave virtute, & cuius gratia, fiendum sit miraculum doceat. Vt pertinenter ad eum sensum, in quo Mariæ verba intellexerat, responderet, docet hanc conceptionem miraculosam præter omnem naturæ ordinem futuram, Dei in ea sese mirabiliter, & singulariter exerente virtute, idque ideo Deum factum velle, quòd id, quod ex ea nasciturum erat, sanctum esset, & Dei filius. Nec mirum sanè, si Deus cupiens filium suum in hoc mundo nasci, naturæ totius Dominũ, alio quàm naturali modo conceptum & natum voluerit. Per hæc ergo, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? nihil aliud dictum Maria volebat, quàm non licere sibi cognoscere virũ, & ideo alia ratione, quàm per viri cognitionem, conceptionem, de qua agebatur fieri oportere. Oportere, inquam, quia rem illicitam, quod erat cognoscere virum, facere impossibile illi erat, quæ id solùm posse se norat, quod iure poterat. Et certè si perpetuæ virginitatis voto se Deo non obstrinxerat, virum, cui nupta erat, cognoscere impossibile, aut illicitum illi non erat. Volebat ergo dictum Angelus, vt ad intentionem &

proposi

& ad propositũ directè respõderet Mariæ, ipsam absque eo, quod rem illicitam faceret, absque eo, quod virum cognosceret, absque eo, quod votorum transgrederetur leges, Spiritus sancti operatione, virtutis altissimi obūbratione, concepturam filiũ esse. Et quia huc Angeli verba tendunt, optimè ex eis, & eorũ finali causa, quis sit verus, & genuinus verborum Mariæ sensus intelligi datur, eam scilicet ab Angelo exegisse miraculum, ne vota solueret, ne votorum iura violaret. Exegisse, inquam, vt absque eo quod à viro cognosceretur filiũ conciperet, quod factu facile Deo esse norat, quem omnipotentem semper crediderat. & certè miror, quomodo hic vllam difficultatem, ne credant quin hic verus sit istorum eius verborum sensus, aliqui faciant, maximè cùm phrasi versa sit loquendi, quam communis vsus habet, cum rem nos quampiam facere non posse dictum cupimus. Si enim abstemium aliquem ad bibendum vinum inuitaueris, respondebit, Quomodo fiet istud, quoniam vinum non bibo? Quod idem est, ac si diceret, bibere non possum, id mea aborrente natura. Si ad comedendum carnes Carthusianum quempiã solicitaueris, respondebit tibi, Quomodo fiet istud, quoniam non comedo carnes? pro eo quod est,
Non

Non licere mihi edere carnes, vel nō possum edere carnes, quia id solum probus homo potest, quod iure potest. Minus autem est, dicere nō comedam carnes, cum quis ad eas inuitatur edendas, quàm non comedo carnes. Cum enim per præsentis temporis verbum loquutus es, impossibilitatem indicasti iuris vel naturæ comedendi carnes. Si dixeris non comedo carnes in quadragesima, idem est, ac si dixisses, id tibi non licere in quadragesima facere. Si autem absolute dicas, non comedo carnes, tunc simpliciter & absolute asseris te carnes edere non posse, aut quia id naturaliter exhorres, aut quia id iure aliquo particulari tibi non licet. Sic ergo Maria dum dixit, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. idem erat, ac si dixisset, non posse cognoscere virum. Quod non posse, cum a natura in puella nubili, & matura vi, non prouenire, ex iure, & lege aliqua id prohibente, prouenisse relinquitur. Quod aliud nullū esse poterat, præter sacrosanctum illud, & inuiolabile votorum Deo factorum ius, quo cauetur, ne quis sub dānationis æternæ pœna, datam Deo fidem fallat, aut irritam faciat, ob quod vere virum cognoscere non poterat. Aliàs licuisset illi, potuissetque vti & cæteræ nubiles adolescentulæ, virum cui nu-

pserat cognoscere. Istud ergo Quoniam virum non cognosco, idem omnino est, atque si dixisset, virum cognoscere non possum, impossibiléque mihi est, quia neque licet.

Aliam, quæso, reddat hic, si potest, subtilis, & phanaticus hæreticus causam, cur non posset, cur ei non liceret cognoscere virum, si quam allegamus obstinato reiicere animo pergat. Et certè etiam si per mille annos in hoc omni studio incumberet, vt aliquam aliã præter hanc, assignaret, nihil aliud quàm oleum atque operam luderet. Sed vnde digressi sumus nostra redeat oratio. Siue itaq; phrasim obserues loquendi, qua Maria vsa est, siue finem consideres, ob quem Angelus tot verbis vsus est & sententiis, dũ quam Maria allegabat difficultatem sublatam è medio cupit, concludendum necessariò tibi erit per ista sua verba, Quoniam virum non cognosco, impossibilitatem cognoscendi virum ex voto virginitatis prouenientem indicare eam aperte voluisse. Notabis autem, quod Maria non dixit vt increduli, Quomodo potest istud fieri, sed solùm, Quomodo fiet istud. Per quem loquendi modum ostendit se credidisse futurum, quod Angelus denuntiabat, sed quia sciebat modo id fieri naturali nõ posse, propter votum virginitatis,

quod

quod nulla ratione Deum velle vt soluere-tur, optimè norat, petebat quo alio modo fieri deberet, solicita nimirum de seruando voto, & prudenter conscientiæ suæ consu-lens: inquirens nimirũ quomodo tuta con-sciẽtia, & citra virginitatis voti violationem, effici mater debeat. Sciebat & credebat fu-turum, quod Angelus prædicebat, modum quo fieret ignorabat, quod ignorare nun-quam præ se tulisset, si ordine seruato natu-ræ se concepturam existimasset aut credidis-set. Vnde argumentum iterum adducitur ef-ficax ad probandum quòd citra virginitatis voti transgresionem, id futurum statim ab initio cogitarit & crediderit. Nam aliàs non quæsisset, Quomodo fiet istud? Simpliciter enim credidisset se vti & aliæ mulieres solẽt, ex viri futuro consortio cõcepturam. Quod quærit ergo de modo, quo fieri deberet, quod Angelus prædicebat, argumentum est eam, de virginitate nunquam violanda secu-ram fuisse, & statim ab initio intellexisse, abs-que virili conceptionem hanc, fiendam esse opere: at qua alia ratione fieri id deberet, ignorasse, & id esse, quod prudenter ab An-gelo inuestigabat, & humiliter. Idem enim est, ac si dixisset, Angele Dei, nõ dubito quin fiet quod dicis. Non dubito etiã quin Deus

virginitatem meam integram seruabit, sed quæro quomodo fiet, vt virginitate salua concipiam filium? Quæro quem modum seruaturus Deus est, in faciendo vt concipiã & virgo maneam. Non fuit incredula verbis Angeli, quare & beatam, quę credidisset, eam sancta dixit Elizabeth, sed modum scire voluit ab Angelo, qui in eiusmodi conceptione seruandus esset, quandoquidem naturalis, ob votum virginitatis seruari non poterat. Prudenter Angelus primò modum indicat, quia Spiritussancti operatione id fiet, inquit. Ideo autem Spiritussanctus specialiter hic operabitur, quia quod ex te nascetur, inquit ad Mariam, sanctum, filius altissimi vocabitur, erit filius Dei, & sedebit super sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius nõ erit finis. Non mirum igitur, si ad tam præstantis viri, ad filii, inquam, Dei generationem, Spiritussancti accedat cooperatio, & non hominis. Secundò nutrit & auget fidem Mariæ exemplo, & verbo. Primò exemplo Elizabeth, sterilis & vetulæ, iam à sex mensibus grauidæ, quam per naturam impossibile erat cõcipere. Deinde verbo, dum nihil apud Deum impossibile esse asserit. Quid opus erat allegare Mariæ, Nihil apud Deum esse impossibile

bile, si ordine seruato naturæ concipere se potuisse, id est, sibi licuisse, credidisset? Quid opus adduxisse exemplum anus & vetulæ sterilis, cum innumeræ passim adolescentulæ, omnibus seculis, & ætatibus, sine miraculo conceperint, & pepererint filios, quarũ exemplum ad erigendam spem Mariæ adducisse oportuerat, & decétius fuerat, si de cõcipiẽdo eo modo, quo & ille, Maria loquuta fuisset? Sine dubio igitur, per illud, Virum non cognosco, virum cognoscere se non posse dictum volebat, & alio quàm naturali modo concipere se debere, vt quod Angelus prædicebat, executioni daretur. Sed quale, & quomodo miraculum circa se fieret, prudens virgo scire voluit, non curiosa in scrutandis diuinitatis cõsiliis, sed de seruanda virginitate solicita. Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? Ac si diceret, Non dubito Angele dei, quin id fiat quod dicis. De modo, quo fiat, tantùm instrui velim. Nam de naturali concipiendi filium modo, nulla fieri mentio potest, quoniam virum cognoscere non possum. Hoc pro certo, & determinato habeto, me non posse cognoscere virum, quia id non licet, & scio voluntatem Dei esse, vt vota mea seruem. Age ergo edissere, quo miracu-

lio, quo supernaturali modo fiet, ut ego filium concipiam? Quod bene intelligēs Angelus, ne gry quidem de cognoscendo virō loquutus est Mariæ, nullam de habenda Dei dispensatione, super votorum lege mentionem fecit, totus erat in ostendendo supernaturalem, quo id fieri debebat, modum, quia etiam hoc solum virginem, cum qua agebat, exigere videbat. Non terit tempus in iis, de quibus virginem ne loqui quidem audire posse sciebat. Cavet ne ulla viri facta mentione castissimas illius aures offendat. Norat quàm firmo virginitatē suam proposito, domino consecrarat. Reiicitur ex hoc colloquio omnis de viro cognoscendo disputatio. Hoc primum exegit ab Angelo Maria, Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virū non cognosco? id est, cognoscere nequeo. Ideo hoc extra disputationem nostram statim ab initio fiat. Hac te lege auditurus sum, modò nihil mecum de cognoscendo viro agas. De reliquis concipiendi filios modis disserito, de hoc autem, nullum prorsus verbum fiat. Seruat propositas colloquij leges Angelus, & tantūm de supernaturali & mira eulogio agit, à diuina potentia constituto sibi concipiendi modo, atque in hunc consentit castissima virgo, dicens, Ecce ancilla Domini,

ni, fiat mihi secundum verbum tuum. Id est, Quandoquidem citra virginitatis violationem, Spiritussancti operatione concepturam me dicis, parata sum diuinis parere iussis, & in tua consentio verba, fiat mihi iuxta verbum tuum. Efficiar, licet indigna, Dei & Domini mei mater, vt illi seruiam, vt illius ancilla humilis, sum me dedico obsequiis. En quàm palàm, & manifestè tum ex Mariæ, tum ex Archangeli verbis, virginitatis perpetuæ Mariam, votum emisisse elicitur, atque concluditur. Quod si qui in istis verbis, id non perspexerint comprehendi, eorum culpa fuerit, qui non satis apud se diligenter singulas verborum vtriusque Mariæ scilicet, & Angeli, causas circumstantiasque dispiciunt & obseruant. Nam hæc attentius considerata maximam afferunt, eamque clarissimam ad intelligendum eorum verba lucem, per quam veluti in meridie, præclarissimum istud virginitatis Mariæ votum videre, contueri que licet. Ego certè nihil in sacra scriptura clarius, manifestiúsque contineri existimarim, crediderímve, omnésque qui hæc mecum attentius ac maturius considerarint, idem fensuros confido. Certè hæc super verbis Angeli velitatio, non parùm tota huic disputationi lucis attulerit. Equidem satis superque ex claro Dei

verbo, imò ex multis claris Dei verbis, probasse me existimo virginitatis perpetuæ constantissimum votum, antequam ab Angelo filij Dei illi conceptio denunciaretur Mariam emisisse.

1 Octauò, Ex verbo Euangelistæ asserentis Christum subditum fuisse Mariæ, idem elici potest. Incongruum enim indignúmque foret, cam quę cœli terræque Domino imperatura aliquando erat, sub mortalis viri potestate constitueretur. In iudicium incurrisset incredulæ, & superbæ primæ matris, quæ in transgressionis suæ pœnam, sub viri constituta potestate fuit. Quomodo hæc, quæ supra choros exaltanda erat angelorum in cœlestibus regnis, supráque omnes sanctos & sanctas, sub alterius viri fuisset aliquando potestate? Nunquam in cœlis virum præcedere ausa fuisset, si in eam dominiū per copulam acquisisset carnalem. Quæ futura olim erat cœli regina, hóque nomine ab vniuersali celebranda Ecclesia, non conueniebat carnalis viri fieret aliquando mancipium aut serua.

1 Vide quæso quot ex tam paucis verbis, perpetuæ virginitatis Mariæ educuntur argumenta, quę modicæ fidei homines per transennam tantùm legentes, & mysteria, quibus prægnantia fœcundáque sunt, nō attendentes

tes arbitrati sunt voti virginitatis Mariç clara nũ extare in sacrâ scriptura testimonia, cum vix quicquam sit, quod euidentius & manifestius ex claro purôque Dei verbo elici probarive queat. Sed rectè Lactantius lib. 2. Diu. Instit. O quàm difficilis, inquit, est ignorantibus veritas, & quàm facilis scientibus! Qui omne verbũ possibile esse Deo credit exemplo Mariç, facilè intellecturus est, quàm valida sint & efficacia, quæ pro virginitatis eius asserendo voto attulimus argumenta, quibus si satisfecero mihi sufficit. Quid enim ad nos de iis qui foris sunt? Quid mihi & infidelibus hæreticis? Relinquamus eos gracculos esse, aquilarũ explorantes volatus, nos autem in altiora veræ fidei subuecti alis, profundiora redemptionis nostræ mysteria contemplantes, terrenos, & carnales omnes abdicemus sensus, in cœlestes spiritualésque cõuersi, vt diiudicare omnia rectè possimus. Hæc de Mariæ virginitate dicta sufficiãt. Eorum quæ in contrarium adducuntur refutatio, vt dixi, ex Diuo Hieronymo petatur. Ex quatuor capitibus cõstabat Eluidij aduersus hanc veritatem impugnatio. Allegabat primùm illud Euangelistæ, Antequàm cõuenirent, inuenta est habens in vtero de Spiritu sancto. Secundò illud, Peperit primogeni-

tum suum,& pannis eum inuoluit &c. Tertium, & nō cognouit eam donec peperit filium suum primogenitum. Quartum,quòd fratrum Christi in Euangelio frequens fiat mentio. Omnia eius argumenta ex malè intellectis vocibus istis,Antequam, Donec,Primogenitus,Fratres,& earū non satis diligenter obseruato vsu procedunt, id est ex ignorantia:sed quæ cū malitia iūcta erat & incredulitate.Præpositio Antequàm, non semper exigit,vt id quod per verbū præcedens significatur fiat, propositio vt vera sit in qua ponitur:nam etiam si nunquam fieret,nihilominus vera propositio esset. Exempli gratia, Si quis dixerit de Virgine aliqua matura viro, antequàm desponsaretur mortua est, vel antequàm nuberet,non oportet ad veritatē huius propositionis, quòd post mortē desponsetur aut nubat. Item si quis dixerit de Diuo Paulo,Antequàm iret in Hispanias mortuus est,non sequitur quòd à morte statim iturus in Hispanias esset.Item si dicas,Imperator antequàm coronaretur,antequàm castra moueret,mortuus est,consequitúrne quòd à morte coronandus post mortem castra cōtra hostes moturus sit?In huiusmodi locutionibus exclusiuè tantùm,vox prædicta sumitur.Neque enim qui sic loquitur, intendit aliud,
quàm

quàm excludere actionem illam, quæ per verbum significatur: nec sua refert fiat postea, néche. Idem enim tūc significat, ac si diceres: absque eo quod tale quid fieret. Ideo illud, mortua puella est antequàm nuberet, sic interpretandum est, ac si dixissem: absque eo quod nuberet mortua est Ita quoque illa superiora interpreteris oportet. Mortuum scilicet Imperatorem esse absque eo quod coronaretur, absque eo quod moueret castra in hostes. Paulum absque eo quod iret in Hispanias defunctū esse. Sic quoque capienda sunt Euangelistæ verba, vt illud, Antequàm cōuenirent, idem sit, ac si dixisset, absque eo quod conuenirent. Sic respondebo Eluidio, si obstinato pergat animo sustinere verbum conuenirent pro carnali viri & mulieris copula, capiendum hic esse. Nihil aliud Euangelistam dictum voluisse, quàm indicare Mariam grauidam factā absque viri copula. Sed miror cum verbum conuenire, varia habeat significata, quomodo eam, quæ peius sonat eligere maluerit. At non mirum, si virginitatis hostis ex abūdantia loquatur cordis: cùm conuenire, simul venire, congregari, concordare, & pacta facere significet, idque frequentius, quàm viri & mulieris cōgressum: cur illud conuenirent, non interpretatus est pro
eo,

eo, quod est simul congregarentur & habitarent? Tres erant apud veteres habendæ vxoris modi, vt docet Boetius, scilicet per confarreationem quę sacerdotibus conueniebat solis. Vsu, quum mulier non in omnium fortunarū, sed in lecti tantùm admittebatur participationem. & per coëptionem quæ certis fiebat solemnitatibus quæ nuptiæ per coemptionem vocabantur, per quas mulier dicebatur conuenire in manu, vel in manū viri, de qua cōuentione potuerat accipere verba Euangelistæ, ipse Eluidius, si non matri Dei iniurius esse maluisset. Sed nos fatemur Mariam non solùm sponsam, sed etiam vxorem fuisse Ioseph, non matronam, tamen quę vsu vxor illi esset. Conueniebant siquidem in simili proposito cōseruandę virginitatis: conueniebant quoque ad habitandum simul in eadem domo & familia, vt Iosepho velut materfamilias esset Maria virgo, postquàm in illius conuenerat manu. Sed prior mihi magis responsio placet, vt accipiatur antequàm exclusiuè, dicendo quòd antequàm conuenirēt, idem est, ac si dixisset, Absque eo quod conuenirent. Nam crediderim ego, antequam conciperet Dei filium, in manu eam fuisse sponsi, seu viri, in eadēmque cum eo habitasse domo, licet separatim. Nam nulla ratione

expe

expediebat, vlla Mariæ stupri inureretur nota, ad quam depellendam Dei factum erat consilio, viro matrimonio iungeretur, simile tum illa, vt postea docebimus, habenti propositum, quatenus tutò grauida esse ex spiritu sancto posset. Tutò, inquam, quia absque vitæ & honoris periculo, non poterat non nupta grauida esse, neque Mariæ creditum fuisset concepisse se ex Spiritusancto asserenti. Definitum autem Dei consilio expectandum tempus erat, priusquàm illius propalaretur virginitas. Interim salua virginitate, vita & honore sub sacro matrimonij velo, cum sanctissimo Iosepho secura victura erat. Sic nempe fieri debere diuinæ visum sapientiæ fuit. Quæ dum non attendit Eluidius, nihil plus de matris Dei, quàm de cæterarum mulierum æstimare matrimonio potest, stultè, insanè, irreuerentèque putans, suscipiendæ ex viro prolis gratia beatam virginem in manu conuenisse Iosephi, cùm nihil tamē magis abhorreret, nihil impossibilius duceret, quàm virum cognoscere, matronámque fieri. Verùm enimuerò omnes nuptiarū & matrimonij solennitates, omnia pacta, conuentáque inter Ioseph & Mariam intercessisse, necessariò asserendum semper est, sine quibus grauidam eam videri scādalo fuisset & ideo moueor

uetur ad credendum, simul eos cohabitasse, vt legitimos cōiuges decebat, priusquàm ab Angelo salutata, Spiritu sancto ingrauidaretur obumbrante. Si enim vel per vnū, vel per duos anteà menses concepisset filium, numerassent à partu ad cohabitationem cum viro, menses vicini, dixissentque tot nō sufficisse ad formandum fœtum, qui partui maturus in tali tempore foret: vnde in eius inuolassent famam, atque stupri ante nuptias cōmissi, eam inussissent nota. Quod nunquā Deus, cui matris honor curæ erat, permissum voluisset. Qui enim posteà pusillorum scandalum tantùm detestaturus erat, an arbitraris maledictioni non subduxerit matrem, quam proximum scandalizātibus imprecatus postea ipse est? Cogor ergo asserere, & cohabitationē & nuptias, & quicquid aliud ad matrimonium requiritur, ante filij cōceptionem inter Iosephum intercessisse & Mariā, absque quibus citra scandalum grauida cerni non posset. Vsus tantùm defuit nuptiarum, cætera concurrerunt omnia. Vnde factum est, vt dum vsum defuisse nuptiarum aliqui considerant doctores, sponsam tātùm dicendam eam esse arbitrati sint, alij verum matrimoniū absque copula carnali intercedere posse reputantes, vxorē coniugémque eam dixêre Ioseph. De tam

tam tato enim singularique matrimonio vocibus loqui communibus non sufficimus. Si sponsam dixeris, non satis est: Si vxorem vo cateris, plus æquo dixisse videberis, quare, & qui sponsam appellauere negâtes fuisse vxorem, & qui vxorem, negantes eam sponsam tantum fuisse, in verbis quidem discrepant: in sensu autem côueniût omnes. Sed cû tale nûquam matrimonium nec fuerit antea, nec postea futurum sit in mundo, non sunt in cômuni hominum loquendi vsu voces, quibus tales propriè, & dignè ipsa singularitate mysterij côiuges appellaueris. Hæc dicta sint, ne contradicere sibi sanctos Ecclesiæ doctores quis arbitretur, dum vnum aliter atque alterum de hoc matrimonio scribentem legit. In sensu omnes vt dixi, côueniunt. Omnes eam votum fecisse virginitatis, omnes perpetuò virginem fuisse, omnes nunquam cognouisse virum, & credidêre, & docuêre. Sed de his satis.

Accedamus autem ad secundum Eluidij euertendum argumêtum, quod ex vocis Donec, significatione facere nitebatur. De qua diximus, quòd si intenderet hanc vniuersalem propositionem veram, quotiescunque vox Donec, in oratione ponitur, indicat quem præscripserat ad aliquid faciendum vel non facien

faciẽdum termino finito, necesse esse ad orationis veritatẽ, id statim fiat, vel nõ fiat, quod per ipsam significatur propositionẽ: sic benè rectè concluderet. Sed quia non semper includit ipsam consequentiam, immò sæpius exclusiuè tantùm in scriptura accipi reperitur argumentum ex particulari sumptũ est & ideo non cõcludit. Facilè enim fuerit aduersus generalem eiusmodi excipere propositionem, idque multis ex locis sacræ scripturæ, quos ex D. Hieronymo petas licet. Vnum tantùm exemplum ex illo huc adducemus. Christo dictũ est à patre, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Nunquid post deuictos hostes Christus amplius non est sessurus ad patris dexterã, neque amplius regnaturus, qui æternum regnaturus est? Nihil certè minus. At hoc dicendum tamen esset, si Eluidij argumentum validum, bonúmq; esset. Non semper igitur Donec, consequentiam necessariò infert. Dices, quid igitur tùm significat? Respondeo, quod propositio ęquipollens, seu exponens huius, Sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos, scabellum pedum tuorum, est hæc, Ponẽtur aliquando inimici tui, pedum tuorum scabellum, interim nihilominus volo sedeas à dextris meis. Quasi diceret.

ret, lic[illegible] sedere in throno, & quiescere videatur n[illegible] [illegible]beti, nisi post deuictos ad interneti[illegible]m hostes, tamē te volo assidere mihi a d[illegible]s, nō solùm pòst, sed etiam interim, d[illegible] integra expectatur ex hoste victoria. [illegible]etur per hanc loquendi phrasim innuere [illegible]opheta, certum Christo cōcessum priuilegium. Dum enim per vocem Donec, terminum ostendit, post quem Duces regnare, quiescereq́; iure solerent, & antequàm id illis non liceret, & tamē ait hoc Christo duci concessum, inimicis adhuc omnibus nondum deuictis, profectò speciale aliquid insinuat factum, & concessum illi, quod nulli alteri concessum anteà vnquā esset. Itaque vox Donec, in proposito, non indicat Christum deuictis hostibus non amplius esse regnaturum, sed potius etiam ante deuictos totaliter hostes, id illi cōcedendum. Sic de verbis istis Euangelistæ, Non cognouit eam donec peperit filium suum primogenitū, sentiendum est. Vult Euangelista insinuare, quod licet nō cognouerit eam vir suus, perueneritamē ad terminum, ad quem fine eo quòd à viro cognoscatur, nulli vnquam mulieri peruenisse datum fuit. Priuilegium ergo indicat Mariæ, non id quod stulte opinatus est Eluidius. Idem est ac si diceret Euāgelista, Donec co-

e

gnoscatur à viro, nulli patere datum est mulieri. Nihilominus Maria peperit filiū suum primogenitum, & à viro tamen cognita non fuit. Non itaque cognoscetur postea à viro dictum voluit, sed tantum, quòd nunquā ante partum cognita ab eo fuisset. Esaiæ 22. De obstinatis Iudæis dicit Propheta, Si dimittetur iniquitas hęc vobis, donec moriamini. Quod idem est, ac si dixisset, Nunquā vobis dimittetur. Loquitur enim de Iudæis vocatis ad pœnitentiam, ad cinerem, ciliciū, ieiunium, qui tamen pro ieiunio & pœnitentia epulari splendidè prælegerant, dicentes, Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. His peccatum suum non esse dimittendum donec moriātur Propheta prædicit. An sequitur, quòd post mortem pœnitentiam facturi erant, qui ante mortem eam facere recusarant? Nihil minus. Quid ergo dictum Propheta voluit? Certè nunquam pœnitentiam facturos eos esse, quare neque peccatum eis dimittendum. Dicis suadenti tibi scelus aliquod, donec vivam, tale scelus non cōmittam. An postquam vivere desieris, sequitur tale te cōmissurum esse scelus? Modus hic ergo loquendi, negationem perpetuam perpetrationis eiusmodi sceleris, præ se fert. Cum Deuter. vlt. cap. dicitur, Neminē vsque

in

in hodiernũ diem, vbi Mosis sit sepulchrum
sciẽt. Hodiernus dies ibi diem innuit, in quo
id scriptum fuit. An postridie oportuit ad ve
ritatem talis orationis, homines scirent vbi e-
ius esset sepulchrum? Phrasis illa loquendi
Hebraica significat, hoc ignorandum perpe-
tuò fuisse. Qualis modus loquendi, & in Ge-
nesi 3. cap. habetur, dum dixit Adamo Deus,
In sudore vultus tui, vesceris pane tuo, do-
nec reuertaris in terram ex qua sumptus es:
quia puluis es, & in puluere reuerteris. Vtrũ
ne à morte pane suo vesciturus erat Adam,
vel tunc demum inceepturus sine sudore pa-
rare sibi cibum? Itẽ illud 1. Reg. 6. Igitur Mi-
chol filiæ Saul non est natus filius vsque in
hodiernũ diem. In Hebræo habetur, Donec
mortua est, quod idem est. Num sequitur,
quòd à morte pepererit filiũ? Item Gene. 40.
Non auferetur sceptrum de Iuda, donec ve-
niat Siloh, id est Messias. An postquam ve-
nisset Christus, auferendum erat sceptrũ de
Iuda, quando is venerat de tribu Iuda, qui
æternum sceptrum regni moderaturus erat?
Quod sic intellexerim ego, Veniet Messias,
& quando venerit, nõ auferetur amplius sce-
ptrum de Iuda, quia regni leonis de tribu Iu-
da nullus est futurus finis. Quasi diceret, Sce-
ptrum de tribu Iuda non habiturũ hoc pri-

uilegium,vt non sit mutabile,& auferibile, & alteri tribui dandum, donec venerit Christus,regnum, quod nunquam finietur incœpturus,& sceptrum quod nũquam auferetur habiturus. Ablatũ enim sępius fuit antę Christum sceptrum de tribu Iuda. Neque enim captiui, reges amplius fuerunt, postquam in Babylonem transmigrauerant. In exilio exules reges non sunt. Ante Christum natũ,ad alienigenas sceptrũ regni Iudæ transierat. Quare saluo meliori iudicio, existimarim prophetiã sic intelligendam esse, quòd scilicet dicere velit,tempus in quo regnum Iudæ stabile futurum erat,non futurum vsque ad aduentum Messiæ. Interim aliorum regnorũ more, mobile,instabiléque futurum. Nam omnis æternitas regni Dauid, vel Iudæ, seu stabilitas à Christo, & in Christo inceptura erat. Sicut illud, Non dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, sic intelligendum puto, quasi dixisset, Moriemini, & tunc iniquitas vestra erit irremissibilis, quæ ante mortẽ remitti per pœnitentiam potuerat. Ita interpretor verba Euangelistæ,quasi dixisset, Peperit filium suum Maria, & non cognouit eam Ioseph in æternum,ac si dixisset, Quę non fuit cognita à viro ante partum, multò minus cognoscenda est à partu. Quæ tantum habuit

priui

priuilegiũ, vt pareret filium absque eo quod cognosceretur à viro, futurum quis arbitrabitur, vt vnquam postea cognosceretur à viro? Sed hæc sublimiora forsan aliquibus videbuntur. Quibus sufficeret, ostendisse nos, vocem Donec, non semper indicare id, quod non factum est ante terminũ quem designat, postea necessariò faciẽdum esse. Verũ enimuerò, quia istam Gene. 49. prophetiam, Non auferetur sceptrũ de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, id est, Christus, aliter exposui, quàm cõmuniter allegari contra Iudæos soleat, huius rationem paucis asserere libet. Certum est quod ex solo literali scripturæ sensu, argumenta duci possunt efficacia, ad conuincendos Iudæos vel hæreticos. Video autem quod prædicta verba de temporali Iudæorũ interpretando regno, nulla ad probandum cõtra Iudæos Christi aduentum accommodari ratione possunt. Nam sensus literalis manifestè docet, non prius auferendum esse sceptrũ de Iuda, quàm venisset Christus. Sceptrum autem, vt glossa interpretatur, authoritatem significat regiam. Non auferetur sceptrũ donec venerit, & nisi venerit Christus, idem dubio procul significant. Regnum tamen temporale, vel regimẽ populi Israel, non semper ad eos de tribu Iu-

da pertinuit. Moyses & Aaron de tribu Leui erant, neque Iosue de Iudæ tribu erat. Iudices quoque non omnes ex tribu fuêre Iudæ. Primus Rex Saul non ex Iuda, sed ex Beniamin erat. Rursum pet transmigrationem Babylonis, regnum cessauit Dauidis, neque quisquã amplius regiam eius sedem conscendit. Nam qui reduxit ex captiuitate populum, non vt rex, sed vt dux, vel iudex tantùm, populum rexit. Successere Machabæi, qui sine dubio erant de tribu Leui. Christus autem erat de eiusmodi tribu, ex qua nullus vnquam altario seruiuit, vt ait Paulus, id est, ex tribu Iuda. Tribus autem Leui altario seruiebat. Postea ante Christum primùm Romani, deinde Herodes Romanorum beneficio sceptrum occupauit. Debuerat autem venisse antequàm auferretur sceptrum ex Iuda, non postquàm ablatũ esset. Ante Saulem ergo nasci debuerat, vel ante transmigrationem Babylonis. Nam manifestè prædicta verba docent prius venturum fuisse Christum, quàm sceptrum auferretur. His rationibus nullum adhuc inuenisse licuit, qui mihi satisfaceret. Lyranus probare conatur Machabæos ex vtraq; fuisse tribu, Leui scilicet & Iuda. At hoc manifestè contrariatur Apostolo Paulo dicenti, neminem ex tribu Christi altario seruisse. Cõstat

autem

autem Machabęos altario seruisse, sacerdotésque fuisse. Hæc me coegerũt, vt contra Iudæos ista non esse afferenda in eo, quo communiter accipiuntur sensu, existimarem, videlicet, de temporali regno Iudæorum, & alium quęrerẽ, quem superius posui sensum. Nam de spirituali Christi regno intelligenda ea esse arbitror, per quem regnũ illud Iudę, cuius sceptrum nunquam erat auferendum, & in quo Christus ex tribu Iuda perpetuò regnaturus erat, incipiendum esse prædicebat propheta. Hìc vnicuique in suo abundare sensu liceat. Certè si per sceptrum regiam potestatem externam, vel regendi populum officium intellexeris, ego ingenuè fateor, non inuenire me rationem, qua eiusmodi expositionem sustineam: quandoquidem manifestè patet, tempore Saul non fuisse sceptrum in Iuda, sed in Beniamin, & in captiuitate Babylonica nullum fuisse populi ducem, aut principem, vt habetur Danielis 3. vbi tres illi martyres Dei, in Babylonica fornace orantes, inter cætera dicunt, Et non est in tempore hoc princeps, & dux, & propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum corã te, &c. Sed de his aliàs. Nunc autẽ mihi sufficit ostendisse, vocem Donec, non semper

includere consequentiam. Dicam præterea vocem עַד quæ donec Hebræis, significat sæpius significare עוֹד id est dum, vt docet Xantes Pagninus in suo linguæ sanctæ thesauro, in dictione עַד, quæ significat vsque, vsquead, vsquequo, adhuc, dum, donec, ad, per, pro, super, de, &c. Latinis quoq; donec, sæpius pro dum accipitur, vt apud Ouidium,

Donec eris fœlix, multos numerabis amicos,
Tempora si nubila fuerint, solus eris.

Ita eleganter dixeris, Donec viuam, tui meminero, pro dum, vel quandiu vixero. Si in prophetia illa Iacob patriarchæ, Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat, qui mittendus est, Donec pro dum acceperis, clarissimè indicabitur sensus, in quo superius illam exposui. Nam tūc sensus erit. Dum veniet Christus non auferetur sceptrum de Iuda, quasi dixisset, antequàm veniat Christus, sceptrum stabile non erit in Iuda, quia modo Iuda regnabit, modo non: at vbi venerit Christus, seu dum venerit Christus, tuuc non amplius auferetur sceptrum de Iuda. Ita quoque sæpius exponendum erit, donec, pro dum, seu quando, vbi non indicat consequētiam, sicut עוֹד Hebræis, quando dum, significat, vti sumitur psal. 146. Psallam Deo meo בְּעוֹדִי dum sum, vel quandiu, seu quando

do fum,quod Latinis eleganter diceres, donec vixero. Quo declarato facilis fuerit istorum locorum, quæ citauimus expositio, dicendo illa psal. verba, Sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum, sic intelligenda esse, ac si dixisset, Sede à dextris meis, dum pono, vel dum fuero ponens inimicos tuos &c. Ita diceres Latinè, Donec ego lego, tu tace. pro dum lego, tace. Item illa, Non auferetur sceptrũ de Iuda, sic exponas, ac si dixisset, Non auferetur sceptrũ de Iuda, dum, vel quando veniet Christus. Et tunc contra Iudæos argumentũ sumerem ad probandum Messiæ aduentum ex hac prophetia, ostẽdendo nullus ex Iuda regis, stabile & æternum regnum fuisse, nisi solius Christi. Ostendat mihi Iudæus regnũ vllum alicuius alterius regis ex tribu Iuda stabile, aut fixum, vsquam reperiri gentiũ, aut repertũ olim fuisse, præterquàm Christi. Hic itaque prophetæ huius sensus, inutilis non erit, contra Iudæorum obstinationem. Illud quoque Euangelistæ, quod citat Eluidius, & non cognouit eam, donec peperit filium suũ primogenitũ, idem fuerit, ac si dixisset, Dum peperit, vel quando peperit, non cognoucrat eam. Et hoc solum volebat Euangelista dictum. Qui cum Hebræus esset, Hebraiceque

Euangelium scripserit, si Hebraicę linguæ sequutus est phrasim, mirum non est. Sed plus satis forsan huic inhæsisse vado videbimur, è quo quandoquidem tandem fœlicitérque emersimus, vlterius nostra procedat oratio, & quæ ex dictione Primogenitus, oritur, difficultatem explicemus, vt hoc quoque telum extorqueamus Eluidio. Quod facillimũ fuerit, si ab ipsa prophetissa Maria (sic enim eã vocat Esaias) illius expositionem sumpserimus. Voluit ipsa legem de primogenitis Deo offerendis implere, & seruare. Quare quadragesimo à partu die, tulit illum in Hierusalem vt sisteret eum Domino, & faceret secũdum consuetudinem legis pro eo. Si non est dicendus primogenitus, nisi postquàm alius natus est, certè non seruabat legem Moysis Maria, vnicum filium offerendo Deo, antequàm esset primogenitus. Expectandum nempe illi fuerat, iuxta Eluidij Theologiam, donec vnũ adhuc haberet filium, vel filiam, cuius comparatione Christus primogenitus dici posset. Errate quoque Euangelistã dum asserit, Mariam fecisse iuxta legem Moysis, filium quadragesimo die à partu sistẽdo Deo. Præterea abusus fuisset, non consuetudo legis, secundum quã fecisse eam dicit idem Euangelista. Quæ omnia absurda cum sint, quàm quæso

absurda

absurda quoque est aduersarij virginitatis Mariæ allegatio? Non eget ergo ampliori tam manifestus error respõsione. Paucis itaque dico, primogenitum non accipi hîc pro eo, post quem alius natus est, sed pro eo ante quem nullus. Hoc modo accipit vocẽ hanc D. Paulus ad Hebr. cap. 1. cum vocat Christũ primogenitũ Dei patris. Et cum introducit, inquit, primogenitũ suum in orbem terræ, ait, Et adorent eum omnes Angeli Dei. An sequitur ex hoc, quòd Christus vnicus Dei patris filius non sit? Nihil minus. Nam nulli dictũ est à Deo, Filius meus es tu, ego hodie genui te, nisi soli Christo. Lex Moysis primogenitum vocat omne masculinũ adaperiens vuluam. Hęc est diffinitio primogeniti à Deo data, nõ illa, postquam alius, quam dat hæreticus homo Sed forsan hîc mihi obiecturus es, quòd Christus nõ aperuit vuluam matris, quia ex Virgine natus est: vnde sequeretur, quòd non esset vocandus primogenitus iuxta legẽ Moysis. Fateor non esse eum propriè primogenitum, iuxta rigorem legis prædictæ loquendo, quia verè non aperuit vuluam, sed loquutus est Euangelista de eo, secundum quod hominibus esse apparebat, sicut quãdo etiam vocat Ioseph patrẽ Christi. Et reuerà, nec Christus, nec Maria huic legi

legi tenebantur. Et mira vſus eſt cautela, & prudentia Moyſes in hac ferenda lege. Timens enim ſi diceret omne maſculinū, quod egreditur de vulua, aut primò naſcetur ex aliqua muliere, ne Chriſtum aut eius matrem ſub ſua concluſiſſe lege, ſubiecisſeque videretur, appoſuit cōditionem, quæ in illius non erat reperienda natiuitate, videlicet adapertionem vulvæ. Videre mihi videor audire Moſen per eiuſmodi verba dicentem, Proteſtor nolle me ſubiicere, aut obligare huic meæ legi, niſi ea maſculina, quæ naſcendo matrum adaperuerint vuluas. Quare ita loquens Moſes? Eſt vllum vnquam maſculinū, ſine vuluæ apertione naſciturum? Vtique, dicet ille. Nam is, à quo legem hanc accepi, futurus eſt homo, & naſciturus eſt in mundo, ſine maternæ apertione vuluæ. Præcauens ergo ne Dominum meum legi ſerui ſui ſubiicerem, ſic loquutus ſum. Non eſt iota vnū, aut vnus apex in lege, quod præteriri debeat. Nihil ſine cauſa, à Spirituſancto dictatum, & à Dei prophetis ſcriptum eſt. In beatæ Mariæ perpetuam reſpiciebat virginitatem Moſes, cum diceret, Quia omne maſculinum adaperiens vuluam, &c. Non ſic loquuturus erat, niſi tum ſciuiſſet futurū aliquando maſculinum, quod ſine maternæ adapertione
vuluæ

vuluæ, nasciturum erat. Sciebat, qui Dei secreta in monte viderat Syna, futuram mulierem, quæ sine suscepto semine conceptura, & sine vuluæ apertione paritura erat. Ideóque vt hanc mulierem, eiúsq; prolem à sua exemptos prædeclararet lege, dixit, Si mulier suscepto semine, &c. & omne masculinum adaperiens vuluam, &c. Excipiens per hunc loquẽdi modum à suę obseruatione legis, tã matrẽ, quàm filiũ, indicansq; simul, matrem in cõceptione, atque post partum, virginem semper esse mansuram. Hoc itaque quod dixit Moises, non contra virginitatem, sed pro virginitate est Mariæ: & nomen primogeniti nihil facere potest ad Eluidij confirmandum errorem. Nam etiam si nullus matri nascatur filius nisi vnicus, is tamẽ rectè primogenitus dicitur. Restat ergo ad quartum Eluidij euertendũ progrederemur argumentum, quo ex nomine fratrum, quo in Euangelio aliquot Christi ornãtur consanguinei, concludere nititur, eos ex eadem cum Christo genitos fuisse matre, & per consequens, non perpetuò Dei matrem virginem fuisse. At quia in sequenti, de perpetua Iosephi virginitate, disputatione, ostensuri ex historia sumus Euãgelica, eos, qui Domini in Euangelio fratres dicuntur, alium habuisse patrem quàm

quàm Iosephū,& ex alia natos matre, quàm Maria, huius solutionem argumēti in illum differemus locum. Nunc autem ad id,quod probatu difficilius esse videtur, nempe ex scriptura probare, votum quoque perpetuæ beatum Ioseph emisisse virginitatis,nostra se conuertet oratio, quod suspensum animo iam diu expectare ex me attentum præsentio lectorem.

Quòd beatus Ioseph voto se perpetuæ virginitatis consecrauit Deo, ex scriptura sacra probari qui possit.

QVandoquidem, quod aggressuri nunc sumus magnæ videtur esse difficultatis,imo verò impossibile multi existimabunt esse factu,vt ex scripturis beatus Ioseph probetur,votum quoque fecisse perpetuę virginitatis, præfandum hic mihi, antequam rem ipsam aggrediar, D. Bernardi verbis fuerit, quatenus lectoris præparetur animus, ad rectè de tota hac pronunciandum disputatione. Nimis enim multa dicere de eo multi sentiunt, & quia pauca de illo,in Euangelio dicuntur, non in ea virum habent admiratione, atque par est, neque quot & quantis ornatus extiterit virtutibus,pro suis meritis æstimant. Ex paucis, quæ de eo scripta sunt,

quanti apud Deum meriti, quantæve fuerit æstimationis conucere certo licet. Sed præstat D. Bernardum audiamus loquentem. Quis & qualis fuerit beatus Ioseph, inquit, conice ex appellatione, qua licet dispensatoria, meruit honorari à Deo, vt pater Dei dictus & creditus sit: conice & ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubites interpretari,& memento illius magni quondam patriarchæ venditi in Aegypto,& scito ipsius istum nō solùm vocabulum fuisse sortitum, sed & castimoniam fuisse adeptum, innocentiam assecutū & gratiam. Siquidem ille Ioseph fraterna ex inuidia venditus, & ductus in Aegyptum, Christi venditionem præfigurauit. Iste Ioseph Herodianam inuidiam fugiēs, Christum in Aegyptum portauit. Ille domino suo fidem seruans, dominæ noluit commisceri, iste dominam suam Domini sui matrem, virginem agnoscens,& ipse continēs fideliter custodiuit. Illi data est intelligentia in mysteriis somniorum, isti datum est, conscium fieri, atque participē cœlestium sacramentorum. Ille frumenta seruauit, non sibi, sed omni populo, iste panem viuum è cælo seruandum accepit, tam sibi, quàm toti mundo. Non est dubium, quin bonus & fidelis homo fuerit iste Ioseph, cui mater

Bern.homil. 2 super Missus est.

mater despōsata est saluatoris, fidelis inquā, seruus & prudens, quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutritium, solum denique in terris magni consilij coadiutorem fidelissimum. Ex his D. Bernardi verbis artem mihi propositā video, quam hic seruare imitarique debeam, ad id quod facturum me recepi perficiendum. Nam ex eorum, ad quæ electus est, magnitudine munerum, & paucorum, quæ de eo scribuntur consideratione, non solùm coniicere sed etiam demonstratione certissima, ea tamen theologa, probare quoque nos posse virginitatem eius perpetuam, diuino adiuti fauore confidimus. Sed ante omnia aduertēdum est, dupliciter aliquid dici esse in scripturis. Primò quando in propria forma ipsa vel docētina, vel verba in ea expressè continentur. Secundò quando in consequentia necessaria, ex iis quippiam elicitur, quę in scriptura manifestè cōtinentur. Exempli gratia. Baptismus formaliter in scriptura cōtinetur, quia Christus apostolis dixit, Euntes in mūdum vniuersum prædicate Euangeliū omni creaturæ, baptizantes eos in nomine patris, & filij & Spiritussancti. Confessionem auricularem faciendam esse necessariō sacerdoti, vt quis à peccatis soluatur, non ita formaliter &

& aperte continetur in Euangelio, sed elicitur in consequentia necessaria ex iis, quæ in scriptura manifestè continentur. Nempe ex illis ad Apostolos Christi verbis, Quorumcunque remiseritis peccata, remissa erũt &c. Per quæ verba, quia iudices Apostolos faciebat in causa peccatorum, cum authoritate ea retinendi vel dimittendi, asserimus à Deo confessionem institutam auricularem. Nam cùm quæ peccata retinere, quæ remittere deberent, non habita peccatorum notitia cum omnibus eorum circũstantiis, vel peccata aggrauantibus, vel eorum speciem mutantibus scire non possent. Hæc etiam, nisi ea illis peccator reuelauerit, confessúsque fuerit, nosse omnino non posint, cum cordis, ex quo omnia, quę hominem coinquinant, exeunt, scrutatores esse non queant. Altera ex parte peccator publicè seipsum diffamare non teneatur, palam peccata confitendo secreta, oporteat autem omnino nota ea esse iudici, cuius est remittere illa vel retinere, & alius non restat modus, nisi per secretam peccatorum exomologesim: inde sequitur ex iure diuino, & ex Dei verbo, confessionis auricularis probari necessitatẽ. Nam posito principali concessóque, accessorium sequatur oportet, sine quo cõsistere principale nequit.

Principale est potestas iudicandi, accessoriũ est cognitio causæ, sed tale sine quo potestas ipsa exerceri nequit. Qui igitur quempiam iudicem in aliqua causa fecit, & causæ illi cõmissæ cognitionẽ concessisse censendus est, & subditis præcepisse causarum suarũ qualitates, & conditiones notas illi faciant, aliàs vt iudicat de coloribus cœcus, sic ei de incognitis iudicandum esset causis. Hac ratione necessariò cõcluditur omnino oportere peccatores sacerdotibus sua confiteri peccata, quandoquidem cõcessa illis à Deo potestas est remittendi & retinendi peccata. Ita dixerim ego in proposito, Diuum Ioseph votũ emisisse virginitatis, expressè in scriptura nõ habetur, sed ex iis id elici, quæ in scripturis manifestè continentur, constanter asseruero. Id autem ostendi quomodo possit, dicturi nũc sumus. Sed quia solido eget fundamento, quod superstruere molimur, certa quædam principia iacienda prius, velut fundamenta quædam veniunt, quę tantæ moli ferendæ paria esse possint, ne nos prima surgens operis structura fallat.

SEQVVN

SEQVVNTVR PROPOSITIONES.

PRIMA PROPOSITIO.

Beata virgo Maria antequam desponsaretur Ioseph, votum emiserat perpetuæ virginitatis. Hæc propositio ex sacra scriptura manifestißimè superius à nobis probata est, antiquorúmque Ecclesiæ Doctorum sententiis, quibus addam duo adhuc ex Bernardo in 2. Homil. super Missus est, Dedit, inquit, Virgini partum, qui ei iam antè & virginitatis inspirauerat votum. Et in eadem Homil. Missus est, inquit, Angelus ad virginem. Virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique qualem describit Apostolus, mente & corpore sanctam. Att ergo eam ex voto, & professione virginem.

SECVNDA PROPOSITIO.

Virgo Maria fuit inter omnes, quas vnquam mundus habuit virgines, prudentissima. Probatio. Neque enim decebat Dei matrem, ex fatuis illis eligi virginibus, quæ ex socordia dormitantes, neque oleum in vasis, neque vllam imminentiũ habebant periculorum curam, sed ex quibus ornata

erat sapientia, & prudentia, super sui stabat semper custodiam, pericula quæque prævidens, eáque prudenter & sapienter præcauens.

TERTIA PROPOSITIO.

Beata virgo Maria fuit iustissima cõstantem suum cuique reddendi habens voluntatem. Hæc propositio cuilibet Christiano per se nota est. Nam si de Zacharia & Elizabeth dicitur quòd erant ambo iusti, qui præcursoris seruique tantùm parẽtes erant. Si Ioseph iustus, qui putatiuus tantùm futurus erat pater, eligitur, quãto magis Domini matrem, iustitia insignem electam fuisse, credendum est?

QVARTA PROPOSITIO.

Beata Maria nunquam peccauit, neque mortaliter neque venialiter, nullum vnquam mendaciũ, neque otiosum, neque officiosum aliquãdo dixit, nullũmve verbũ loquuta est, otiosum aut vanũ. Probatio. Prophetissam namque hanc, quæ veritatem, quę ipsam paritura erat iustitiam & virtutẽ, non cõueniebat quicquam in se haberet veritati, iustitiæ, virtuti contrarium.

GENE

GENERALIA PRINCIPIA.

I.

Antecedente posito & concesso, ex quo aliqua necessariò sequitur conclusio, ipsa quoque conclusio concedenda venit.

II.

Posito principali sequitur accessoria omnia, sine quibus principale cōsistere nequit.

III.

A veris rerum causis, demōstrationes ducuntur necessariò concludentes.

IIII.

Finis necessariò exigit omnia media, ad ipsum obtinendum necessaria.

V.

Finis exigit omnia remoueri impedimēta, quæ illius impedire consequutionē possent.

VI.

Sapiens cum quippiā alicui fini destinat, & media prouidet ad finem obtinendum necessaria, & impedimenta submouet quæque.

VII.

Quò sapientior & potentior quis fuerit, eò aptiora disponit, & parabiliora media, & potentius impedimenta quæque reiicit, & remouet.

Omnes istæ propositiones per se notæ

sunt, quare & principia rectè dixerim, quia primò & vniuersaliter vera sunt.

In Christiana quoque philosophia verissima sunt sequentia principia.

Deus est sapientissimus. Deus est iustissimus. Deus est potentissimus.

Diuina sapientia attingēs à fine vsque ad finem, omnia suauissimè prudentissiméque disposuit, disponitque semper.

Has propositiones omnes superius positas nemo sanæ mentis Christianus negare ausus fuerit. Ad has velut ad Lydium quendam lapidem, omnes quæ in hac examinādæ occurrerunt disputatione, cōclusiones probandæ veniunt. Est enim ars etiam in rebus seruanda Theologicis, quæ seruata infallibiliter veras gignit conclusiones, & tam manifestam euidentémque reddit veritatem, illi vt resistere nulla hostium machinamenta possint. Hæc ars est, certas ab initio proposuisse propositiones, methodo quadam procedendo mathematica, cauendo postea, ne quid dicatur asseratúrve, prædictis contrarium propositionibus, & diligenter aduertendo, an ea, quæ ab aduersario dicuntur, his quicquā inferant, aut cōtineant aduersum, repugnā sve. Sic in hac de Ioseph virginitatis voto dispu tatione, processum sumus, ex supradictis de-

monstrat

monſtrationes eliciendo propoſitionibus, quæ quod intendimus neceſſario apud quęcumque æqui, ſaniquę iudicij lectorem concludent.

Prima demonſtratio à Virginis prudentia & ſapientia.

SApientiæ prudentiæque officium eſt, imminentia prævidere, præcavereque pericula, & quando finem ſibi aliquem quiſpiam præſtituit, omnia removere impedimenta, & aptiora quæque procurare, ad finem tutò faciléque aſſequendum, media. At probatum iam eſt, virginem Mariam votum feciſſe perpetuæ virginitatis, húncque ſibi præſtituiſſe finem, vt hoc votum integrum, cõſtanter ad mortem vſque ſeruaret: cõſequens ergo eſt, quòd & prævideri prudentiſsimè imminentia quæque virginitati ſuæ pericula, & ea ſapientiſsimè deuitarit. Non eſt autem dubiũ, quin ſtultiſsima, imprudentiſsima, fatuiſsimáque fuerit virgo illa, quæ propoſitum votumque habens ſeruandæ æternùm virginitatis, viro nuberet, vel etiam cohabitaret, qui illius haberet violandæ virginitatis propoſitum, vel de quo certa non eſſet, quòd votum haberet ſuo ſimile, & de cuius continentia, virtute, caſtitate, fide, tantam, & tam cer-

tam haberet persuasionem, & certitudinem, quod tuto illi suam se committere posse virginitatem, perfectè sciret. Multo magis autē stulta esset, si contracto per verba de presenti matrimonio, potestatem, tusque in suum corpus, viro concederet, & solemni matrimonij sponsione, in violatorem virginitatis, & in prioris transgressionem voti, cōtrario voto, solenniq́ue consentiret. Quid enim stultius facere virgo posset, quæ virginitatē seruare perpetuò propositū haberet? Quid magis virgine illa fatuū, quæ virginitatem seruare proponens, cum viris conuersaretur, contrarium votum, contrariam habentibus intentionem, qui noctes atque dies, illius insidiarentur pudori? Prudentia hæc est, non se committere periculo, & in fuga victoriæ collocare spem, ne amando periculum, pereundum in eo illi sit. Ex hac demonstratione hanc elicio propositionem, & conclusionem, quòd scilicet beata virgo certitudinaliter sciuit, vel per diuinam reuelationem, vel alia, quæ Deo visa est, ratione, beatum Iosephum tantæ esse sanctitatis, tantæ castitatis, & continentiæ, tantæ fidei, quòd tutò illius curæ virginitatis suæ concredere custodiam posset, citra vllam illius iacturam, aut perdendi illam periculi. Concludo præterea, quòd
si

si beatus Ioseph aliàs alteri nupsisset, viduúsque mansisset, aut altetam viuentem adhuc haberet vxorem, quod nūquam beata virgo, ea erat eius prudentia, in illius consensisset matrimonium. Habenti duas simul vxores, vel ad secundas transeunti nuptias, non poterat tuto prudens se concredere virgo. Sciebat ergo hæc prudētissima virgo, antequàm in Iosephi consentiret nuptias, in manúmq; conueniret illius, nunquam ipsum antea aliam duxisse vxorem, propositúmq; seruandæ habere virginitatis, tam firmum & constans, atque ipsamet habebat. Aliàs neque satis sapiens, neque satis fuisset prudens, imo neque prudens, neque sapiens, sed merè veréque fatua virgo. Et ecce quàm firmam virginitatis Ioseph, à sapientia virginis duximus demonstrationem. Posito enim, quod votum emiserat, & quod sapiens, prudénsq; erat, accessorium hoc, voti similis scilicet in Iosepho constantia, ponendum asserendúmque necessariò est. In hac demonstratione, medium est sapientis, prudētisque diffinitio. Quæ autem à diffinitione ad diffinitum ducuntur argumenta, infallibilem necessariámque inferunt veritatem.

Secunda demonstratio sumitur à Virginis iustitia.

VIR potestatem non habet corporis sui, neque vxor pariter sui, sed alter alteri tenetur petenti reddere debitum, vti
1. Cor.7. pluribus ad Corinth. scribens docet Apostolus, ne scilicet vnus alteri adulterii committendi occasionem, quantum in se est, dedisse videatur. Nam qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur. At si matrimonium cum Iosepho cõtrahens, per quod in suum corpus ius viro concedere mulier solet & debet, Iosephus cognoscendi eam intentionem haberet, illa autem firmum haberet nunquam cognoscendi eum votum, & habens hoc propositum illi nuberet, illi ius, & potestatem in se concederetque verbo matremfamilias illius futuram reciperet, facto autem postea negaret, neque petenti, aut quod suum est accipere volenti consentiret, sed contradiceret, an non iniustè fecisset, & iniquè? An non iniuriam viro factura esset? Nõnne fornicandi illi occasionem datura esset? An non constantem, perpetuámque habitura erat, non redendi proximo, quod suum esset voluntatem? An non consequenter violati iusti, & æqui rea? Aliena autẽ hæc sunt à iustissima, & sanctissima matre. Omnia

nia ergo antequàm matrimonium cum viro contraheret, fecisse, dixisse eam necesse est asseramus quæ facienda dicendáque erant, ne proximo iniuriam fecisse videretur. Quare concludo asserendum omnino esse, ipsam antequam desponsaretur, si id prius ignorabat, de sponsi sui intentione votóque, diligenter inquisisse, Iosephóque seruandæ virginitatis voto obstrictã se Deo esse indicasse, atque declarasse, dixisséque illi hæc vel huiusmodi verba, Chare Deo serue, ego me perpetuæ voto virginitatis Deo dedicaui, quod iure diuino matrimoniũ impedit contrahendum, dirimítque cõtractum: iam Deo cor, corpúsque voui, consecrauique: ne ergo decipiaris. Nam si simile non habes voto meo propositum, vel si non habes, habere velis, nunc omni spõte iuri cedendo, quòd in me per huiusmodi acquirere despõsationem posses, nunquàm tua futura sum sponsa, nunquam nuptura tibi, nunquã in tuam conuentura sum manum. Nam etiam si Angelus è cœlo missus, mihi suadere vellet, virum aliquãdo cognoscerem, ne illi quidem præbitura assensum essem. Cedas ergo viri iuri, cedas mulierem cognoscendi proposito, si quod vnquàm habuisti, solemni firmáque Deo te obstringas sponsione, nunquàm

te-

te cogniturũ esse mulierem, & tum demum consentiam, tua sim sponsa, tua cõiunx, aliàs nunquam id factura. Quod & fecisse Iosephum, si id ante non fecerat, constanter asseuero, ne matrem Domini mei iniustam, deceptricem, proximique circũuentricem, aliquando fuisse asserere cogar. Quare toto errant cœlo, qui cũ proposito illam cognoscendi, Iosephum in sponsam accepisse eam opinantur. Nihil enim alienum magis à tam sanctis nuptiis, nihil tam sancta indignius virgine, dici, cogitaríve posset. Neque quis hîc existimauerit suffecisse, quod Ioseph viduus, vel aliàs incontinens, tunc tandem primùm, castitatis votum emitteret. Prudẽs etenim virgo religioni duxisset, tali nubere viro, de quo sæpe, vt pauida erat scrupulosáque, timendum sibi esset, ne peccandi occasionem ex illius virginitatis proposito, habiturus ex fragilitate esset. Iustam hoc suspicandi, atque timẽdi, præterita illi viri incontinẽtia prębuisset. Bonarũ enim mentiũ est, etiam vbi nulla est, timere culpã. Quare tuta nunquã illi consciẽtia futura erat, nisi simile omnino suo virginitatis seruandæ proposito votum Iosephum habere, fecisséque certo sciuisset. Atque hæc æquo rerum æstimatori ratio, efficacissima demonstratio erit,
Iosephum

Iosephum virginitatis quoque voto, virginis voto simili, totum ab initio se Deo consecrasse.

A Virginis simplicitate, veritate, sanctitate, & sinceritate, Tertia demonstratio.

HAec peccatum nunquam fecit, neque dolus inuētus fuit in ore eius, sed simplex vt columba, prudens vt serpens semper fuit, abhorrens ab omni mendacio, fraude, deceptione, circunuentionéque proximi. Ab hac enim alienum est illud Ethnici, Iuraui lingua, mentem iniuratam teneo. Periurus est, & dolosus, quacūque tandem verborum vtatur forma, quisquis aliud verbis promittit, quàm in mente facere decreuit. Si in sua virgo cum Iosepho desponsatione viro celauit, quòd de nunquam illum cognoscendo votū habebat, Ioseph, cum illam cognoscēdi proposito eam in sponsam sibi sumebat, nónne virum circūuenisse, decepisséque conuinceretur? Et si mentiri contra mentem ire est, aliud autem virgo in mēte decretum haberet, aliud verbis sponso promitteret, an non mentita illi esset, dum verbis in illius conueniret manum, corde autem contrariū facturam se esse intenderet? An non periura, quæ Deo teste fidem viro daret, se in illius futuram

futuram potestatem, & tamen nunquam illi sui permissura potestatem erat? Quacunque enim arte verborum quis iurauerit, ait Isidorus, Deus, qui conscientiæ testis est, ita accipit, sicut is cui iuratur, intelligit. Dupliciter autem reus est. Nam & Dei nomen in vanum accipit, & proximum dolo capit. Næ ergo dupliciter rea Virgo fuisset, Dei scilicet sacramentum in vanum accipiendo, & proximũ dolo capiendo, si cum proposito non cognoscendi virum nupsisset, & id tamen virum celasset, neque iuris quod in se per nuptias viro concedebat, voluntariam ab eo petiisset cessionem, condonationéque. Contraria omnino vota sunt, velle nubere, & nolle vnquam cognoscere virum. Votum transgressa est virginitatis, quæ ore iam in illius consensit transgressionem. Viro illudit puella, cui se in sponsam tradit, cum proposito nunquam illum cognoscendi. Duplicis animi virgo illa est, quæ sic imponit viris. At omnia hæc à virginis columbina, aliena sunt simplicitate. Impossibile erat, veritatis futuram matrem mentiri, periurare, alijs illudere, imponere, proximum circumuenire dolo. Quare ex hac intulero demonstratione eadem, quæ ex præcedentibus, Virginem scilicet nupturam Iosepho, voti sui declarasse

propo

propositum, quæsisséque si id ante ignorabat, num idem vellet, quod ipsa, virgo nempe æternùm manere: aliàs nunquam erat in eiusmodi consensura nuptias. Non facile conuenit inter dispares, dissimilisque propositi homines. Prudens ergo, sapiensque virgo, quæ cum esset spiritualis omnia diiudicabat, omnia dispiciebat, secúmque reputabat, nunquam non virgini, virginitatis suę commissura custodiam etat. Quare concludo simile, tam firmúmque seruandæ virginitatis propositum habuisse Iosephum, atque ipsa habebat virgo, Deo sic omnia suauiter disponente, & volente.

Quarta demonstratio, à Dei sapientia.

Sapientia Dei, quæ attingit, vt Sapiẽs ait, à fine vsque ad finem, omniáque suauiter disponit, indignum fuisset, filij matrẽ, quam virginem æternum cupiebat & volebat seruatam, viro coniúgere, virginitatis eius violandæ, propositum habenti. Quis enim nisi stultus, agnum lupo, accipitri columbam, ouem leoni, virginem raptori seruandam concrederit? Aut stultè Deus egisset, matrem Iosephi concredendo custodię, aut Iosephus, firmum habebat propositum nunquam cognoscendi eam. Stultus autem non est,

est. ita itaque se res habuit, vt virginitatis æquè firmum habuerit Ioseph propositum, atque ipsa Maria.

Quinta demonstratio à Dei iustitia.

DEus tyrannus non est, neque despotico nobiles huius orbis ciues, sed ciuili & politico regit homines imperio, non ergo inuito spóso ad suos vsus sponsam eius violenter rapuit. Quod certe fecisset, nisi in contrahendis, vel certè ante contracta sponsalia, prius spontaneo vir illius voto, quod in illam acquirebat, iuri cessisset. Voluntario dixi voto, quia inuito, & reluctanti quod suum erat auferre, indignum Deo erat. Non sunt Deo grata inuitorum seruitia, virginea Ioseph castitas, si ab inuito & nolente extorqueretur vi, & imperio Dei, neque Deo grata fuisset, neque Iosepho meritoria: sed omne eius seruitium triste semper ingratúmque Deo fuisset. Ea est Dei generositas, vt nihil inuoluntarium extorquere ab homine velit. Et si inuoluntaria grata illi esse seruitia possent, non opus fuerat hominem creasse. Ita enim bene sic si esset, equorum, asinorum, & boum seruitio vti potuisset, atq; hominum. Quamobrem ex his cõclusero, necessarium omnino fuisse, Iosephi virginitatem ex voluntario processisse voto, quę nunquam vir-

tus

tus est virginitatis, quando non sanctificatur voto pietatis. Nupturus virgo, mente virgo non est, iam corde maritus factus est, iam proposito nuncium virginitati remisit.

Sexta demonstratio à prima finali causa, designandi Iosephum virginis sponsum.

A Finalibus efficacissimas deduci causis demonstrationes, iam ex primis huius tractatus superius positis principiis constat. Inter cæteras finales causas, ob quas virgini sponsus beatus designabatur Ioseph, hæc vna erat, vt virginitatis eius testis, custosque esset. Testis inquam, quia cum nunquam post nuptias ab eius fuerit seiunctus societate, (vt enim nuptias propter superius positas causas, antequam simul habitarent, intercessisse inter eos, credas oportet) quantum à nuptiis ad partum vsque tempus effluxerit, numerare certo poterit, obseruauerit autem nullos illam cum vllo viro, toto illo temporis spatio suspectos habuisse congressus, testis profecto esse poterat omni exceptione maior, integri illius pudoris. Sane illi de rei veritate certo certius constabat. Custos autem esset virginitatis illius, eligebatur, non violator. Sapientis verò est, quando aliquem operibus suis præstituit finẽ, & aptiora quæ-

que procurare media, & impedimenta remouere quæque. At violaturo committere viro, aut certè eam cognoscẽdi propositum habenti, medium aptum non erat seruandæ illius virginitatis, immo magnũ continuúmque impedimentũ sequitur ergo cum Deus sapientissimus, potentissimúsque sit, talis nunquam viri matrem, custodiæ commisisset, nisi prius istud submouisset impedimentum, quod ex eiuscemodi, de sua natura nasci, conditione solet. Quid enim impedisset magis virginitatis cõseruationũ, quàm virginem viro concredere propositũ habenti, virginis proposito contrarium? Quare ex hac concludimus demonstratione, oportuisse omnino propositum impressisse Deus Ioseph menti, virginis simile voto, omnéque contrarium, si quod antea vnquam habuisset, abstulerit votum, priusquàm illius traderet ipsam custodiæ. Nec donec grauida oculis appareret sponsi expectandum, differendumq́ id erat. Siquidem antequam nuberet, illi de mediis prouidendum fuerat necessariis, congruentibúsque. Sed dices forsan, quod occulta quadam diuinitatis vi, motum impeditum, nolentémque Iosephum Deus erat, ne licet in votis haberet, virginem tangeret. At hoc non fuisset suauiter omnia disponere,
sed

sed vi vti, atque violentia, quod à Deo alienum est, cuius sapientia, potentia, atque bonitas, vna eadémque res sunt. Quia ergo non solum sapiens, & potẽs, sed etiam bonus fuasùsque est, nisi ex seipso, sponteque sua virginitatis propositum Iosephus concepisset, non dignatus illum fuisset pro matris habere custode, aut illi inuito abstulisse vxorem. Immo ingenuè dixerim, nisi sponte voluntaneque virginitatem suam Deo virgo ipsa consecrasset Maria, in matrem illam eligere nunquam Dei dignatus filius fuisset. Ideo impertinens admodum esset, si quis diceret, quòd non sua Ioseph sponte, diuinis eius sponsa consecraretur vsibus, consensisset. Suauis ergo rerum à diuina sapientia dispositio, voluntarium in futuro virginis custode, exigebat virginitatis votum, quæ ab inuito, nolentéque extorta, nullam apud Deũ gratiam habuisset.

Ab exemplo fulcitur postrema hæc demonstratio.

Similem ob causam moriturus in Cruce Christus, cum semper matrem dilexisset suam, illiúsque curam habuisset singularem insigne sui erga eam amoris argumentum, & quanta illi mater curæ esset reliquit testimo-

nium, cum in fine vitæ inter ipsa mortis tormenta, sæuissimósque dolores, eam non nisi virginis summéque sibi chari, atque dilecti discipuli cõmendauit custodiæ, quem singularis priuilegio amoris, ob illius præclaram virginitatis virtutem, præ cæteris semper discipulis dilexit, vt hinc colligas, quàm fuerit Deo charus, & dilectus sanctus Ioseph, & quãta in eo virginitatis enituerit puritas, cui iuuenili adhuc ætate florentem adolescentulam matrem virginem, custodiendam commisit. Tam preciosus thesaurus, tam charũ & sanctum pignus, non nisi charissimis, sanctissimísque viris concredi à Deo debuit. Argumentum hinc ad probandum Iosephi virginitatem, à minori ducetur ad maius, sic arguendo, Si mater prouectæ iam ætatis, cum minus esset periculi, aut necessitatis, non nisi virginis cõmendatur custodiæ, multo certe magis faciẽdum id tum erat, cum adhuc iuuenis adolescentuláque erat, pluribúsque ob futurum filij partum & educationem, familiarioribúsque egebat obsequiis. Mirã in eo fuisse sanctitatem, & castitatem hoc arguit, maioremq; ea, quæ in patriarcha Ioseph eius quõdam eluxit typo, qui domino suo, in seruanda dominæ suæ castitate fidissimus, fidelissimúsque fuit. Si Phutiphar mortalis homo

mo talem sciuit eligere, cui domus suę totius committeret curam, nónne sciuit quoque Deus castissimum eligere virum, cui domus suæ, in qua per tot habitaturus menses corporaliter erat, committeret custodiam? Sanctum ergo eum fuisse, quia sancta Dei domus Maria erat, virginē, quia virgo quoque erat, concludamus oportet.

Septima demonstratio ab altera finali causa electionis beati Ioseph.

Altera finalis causa, ob quam Mariæ sponsus designatus Ioseph fuit, hæc erat, vt scilicet propriis contrectaret manibus, sacrum illud corporis Christi pignus. Accessurus quondam Moses prope rubum igne ardentem, nec tamen comburendum, è quo illi loquebatur Deus, iubetur ob reuerentiam ex pedibus calciamenta soluere, eo quòd locus in quo stabat, terra sancta erat: quam puros credis oportuit esse mentis ipsius Ioseph pedes, id est affectus, quàm solutos, & separatos ab omni impuritate, corruptione, & macula eos habere illum decuit, qui sacrum illud corpus (in quo tota diuinitatis plenitudo corporaliter inhabitabat, realiterque) propriis tractaturus erat manibus, idque visibiliter. Visibiliter dixi. Nam maio-

rem exigebat reuerentiam,& sanctitatem, visibilis illa diuini corporis contrectatio toties repetenda, quàm vlla alia, vbi quod fides credebat, oculus videbat, palpabatque manus. Ad corporis huius sacri propiùs accessuris vmbras, sacerdotibus inquam veteris legis, dictum fuit, Sancti estote, quia sanctus ego sum. Nónne hoc idem, sacrum illud pignus ipsi Ioseph, quotidiana continuáque loquebatur repetitione, dicens, Sanctus esto, quia sanctum sanctorum sum ego, quod in manibus habes, quod in gremio gestas, & foues? Quantam ergo mentis corporísque puritatem te quæso in Ioseph filio Dauid enituisse oportuit, qui ad tantum assumebatur munus, quale nullus vnquam regum habuit, aut prophetarum, sed neque habiturus olim quisquam alius est? Electus ergo fuit ob singularem illius castitatem, mentisque & corporis virginitatem sanctus Ioseph filius Dauid, qui filij Dei diceretur pater. Vere filius Dauid, & velut alter Dauid vir secũdum Dei cor. Prorsus, inquit, D. Bernardus, filius Dauid non tãtùm carne, sed fide, sed sanctitate, sed deuotione, quem tanquam alterum Dauid Dominus inuenit secundum cor suum, cui tuto committeret secretissimum atq; sacratissimũ sui cordis arcanum, cui tanquam alteri

alteri Dauid incerta & occulta sapiētiæ suæ manifestauit, & dedit illi, non ignarum esse mysterij, quod nemo principum huius seculi cognouit, cui denique datum est, quod multi reges, & prophetæ cum vellent videre, non viderunt, audire & non audierunt, non solum videre, & audire: sed etiam portare, deducere, amplecti, deosculari, & nutrire, & custodire. Hęc omnia, & sanctitatem, puritatémque summam, in eo exigebant, & sanctitatis, virginitatisque eius euidentia argumenta sunt, atque testimonia. Neque enim electus à Deo, ad tam familiaria sibi, & charissimæ matri suæ exhibenda fuisset obsequia, nisi præcellentis alicuius ratæque fuisset integritatis ornatus virtute, & hæc hæc illius ad tantum munus electio, insignis eius virginitatis ingens est apud omnes rem bene ponderantes testimoniū. Ex hac conclusum demonstratione volo, sicut munus fuit rarum, & singulare, ad quod ex omnibus assumptus Ioseph fuit hominibus (propinquissime enim ad matris accedebat dignitatem patrem filij Dei, præterquam in generando fuisse) ita in omnibus eum cæteros mortales præcelluisse decuit virtutibus, & maximè in castitate, quæ perfectissima exigebatur in nuptiis, vbi mater virgo, filius virgo, pater virgo

est omniáque candissimo virginitatis exornantur flore.

Duobus demonstratio hæc fulcitur exemplis.

SI beatus Ioannes Baptista futurus tantùm Domini præcursor eligitur virgo, & tam sanctus, vt vix parem habuerit inter homines, qualem existimabis eum fuisse, qui vt pater filij Dei diceretur, electus erat patrísque illi exhiberet obsequia? An non virginem quoque fuisse hunc oportuit? Erat tantæ sanctitatis Ioannes, vt omnibus stupori, admirationique esset, atque sacro filij Dei ore laudari mereretur, neque tamen dignum se reputabat, qui vel corrigiam calciamentorum Christi solueret, & non adhuc mentem eriges ad sanctitatis beati Ioseph contuendam excellentiam, qui non solum calciamentorum Christi solueret corrigiam dignus inuentus est, sed etiam qui toties sacrum eius corpus foueret in gremio, manibúsque contrectaret? Si eligitur virgo Ioannes, qui vel semel tantùm sacrum hoc corpus, sed renitens, contrecturus erat, an non maiori ratione virgo electus fuit Ioseph, qui toties & tam familiariter facturus idem erat? Quantam existimas exigi in eo puritatem, qui purissimo & sanctissimo creatoris cœli, & terræ filio, imò ipsi rerum omnium creatori,

tori, & cœli & terræ domino dominaturus erat aliquādo? Nam non solum matri, sed & huic suo patri subditus olim Dei filius fuit. Patrem dixero, quem sic beata virgo vocare dignata est. Ecce inquiebat ipsa, pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Non solum autem matri, sed beato quoque Ioseph subditum fuisse Christum Euangelista testatur, dum ait, & erat, inquit, subditus illis. Non illi dixit, sed illis, vt quantum huic viro honorem Dei deferre dignatus fuerit filius, ex hoc conijcias, vt quanta polluerit puritate, atque sanctitate, vel hinc elicias. Quis enim angelorum Christi pater vocatus fuit aliquando? Aut cui vnquam angelorum Deum subditum fuisse legis? Nostro tamē Iosepho subditus fuit. & nō credes illum fuisse in puritate parem, qui angelos dignitate, officioq; superauit? Cui enim angelorū dixit vnquā Deus, Pater meus es tu, sicut Dei filium suum hunc sæpius patrem vocasse non dubito? & nihil præclarum de viro hoc, vos modicæ fidei homines credere adhuc poteritis? Audistis Deum huic subditum fuisse, & nō credis maiori illū polluisse sanctitate quem maiori Deus dignatus est honore? Aequus iudex Deus, apud quem personarum non est acceptio, eo quòd suis quemque meritis ho-

norat. Qui inquit, honorificauerit me, glorificabo eum. Qui autem contẽnunt me, erunt ignobiles. Qui plus glorificat Deũ, hic plus à Deo honoratur. Nunc ergo credas, eum qui plus cæteris honoratur a Deo, plus etiã cæteris glorificasse, & portasse Deum in corpore suo. Et in quo plus cæteris glorificasset eum aut portasset in corpore suo, nisi per votum perpetuæ virginitatis corpus suum obtulisset Deo, hostiã viuam, sanctam, Deo placentem, vt dignus esset, qui etiam corporaliter suo Deum in corpore portaret, & glorificaret, ipsum Deum in manibus portando? Non ergo vile quid cogites cum beatũ Iosephum filij Dei patrem vocari, aut Dei filium subditũ quondam illi fuisse audis. Maxima enim hæc sunt, & præclarissima virtutũ eius testimonia, quas omnes scripto traditas si haberemus, non dubito, qui ingentem librorũ haberemus molem. Ego dum hæc de eo lego, non possum non admirari eorum socordiam, qui tanta de illo ex Euangelio audientes, vix adhuc quicquam de illo magni credunt, aut cogitant. Quantum ad me spectat, dum hæc attentius cõsidero, non solùm semper eum virginem fuisse, sed etiam in vtero crediderim sanctificatum extitisse. Electionis eius raritas, singulariter admirabilis, & admirabiliter

1.Reg. 2.

1.Cor. 6.

Rom. 12.

rabiliter singularis,id me credere cogit. Sed dicamus restat, quid ex hac ratione concludendum sit. Dico ergo, Sicut eligitur mater virgo, in cuius Christus vtero cōciperetur, in cuius gremio factum eius foueretur corpus, gestaretur sinu, manibus contrectaretur ita electus est putatiuus pater virgo, qui similia illi exhiberet obsequia, sanctumque eius, & virginale corpus, in suis toties haberet manibus, & talis proculdubio eligi omnino debuit.

Secundo exemplo eadem illustratur demonstratio.

A Similibus causis argumentū ab exemplo hic desumimus. Similes enim causæ, similes concludunt effectus. Causam contemplamur cur continentiæ, castitatis, cœlibatusque votum in nouę legis requiritur sacerdotibus. Neq; aliā inuenio, ob quam id in eis tanto exigatur cum rigore, nisi quòd corporis huius, quod toties quondam virgo Ioseph suis portauit in manibus, ipsi consecrare, manibusque contrectare habent, idque illis incumbit ex officio. Quare & de iure diuino, præscriptus illis cœlibatus est. Non enim accessero ego illorum opinioni, qui sacerdotiū cœlibatum ex iure tantùm arbitrantur esse positiuo. Nam à Christo institutum esse

esse credo. Nunquam enim in eam veniam opinionem, vt Ecclesiam Romanam (quę à duobus Apostolorum principibus totā hausit, & purissimam Euangelij & Christi doctrinam, quæ à Paulo didicit, vota, non ex pręcepto, sed cōsilio & sponte fieri debere) continentiæ onus perpetuæ sacerdotibus imposuerit credam, nisi sic à Christo præceptum esse, à prædictis didicisset fidei suæ magistris. Ego itaque Euangelicum credidero esse præceptum, donec aliud Ecclesia non determinauerit Romana, non vt quis efficiatur sacerdos, hoc enim sub præcepto nō cadit, sed vt quicunque sacerdos esse velit, sub perpetua obligatione cœlibatus ad id admittatur munus. Sed in quo Euangelij loco tale contineatur præceptum, scire forsan velis. Apud D. Lucam 14. cap. illud contineri credidero, idque in istis Christi ad turbam verbis, Si quis inquit, venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Hæc Christi verba literali suo sensu, cœlibatum sacerdotibus præscribere, constanter asseruero. Quod si antiquorū multi morali ea sensu interpretati hoc non dixere, nihil contra veritatem obstat nostræ propositionis,

tionis, qui ſcimus non omnia dixiſſe omnes, & aliqua ſemper in intelligētia ſcripturarum diligentiæ adiici poſſe priorum, & qui generalem hanc habemus à patribus regulam, vt in probatione dogmatum fidei, vel cōtrariorum oppugnatione errorum, ex literali procedamus verborum Dei ſenſu. Conemur ergo literalem eruere, & genuinum horum Christi verborum ſenſum, Si quis venit ad me, &c. Ad quorum intelligentiam ſciendum eſt, quòd licet Chriſtiani omnes Chriſti poſſint diſcipuli dici, largè ſumpto vocabulo, tamen in Euangelio certi quidam à Christo vocati & electi, diſcipuli vocantur eum, quibus multa præſcribit, quæ ad reliquos ex turba Chriſtianos, non pertinēt. Habuit autem duos diſcipulorum ordines Christus. Primus fuit apoſtolorum, qui omnes epiſcopi erant. Alter fuit 72. diſcipulorum, quorum ordinem habent & ſucceſſionem ipſi ſacerdotes, vti Apoſtolorum epiſcopi. Notandum prętereà ad hos neminem ſuſcipiendos ordines à Chriſto, præcepti vi cogi. Ideo dicebat, Si quis vult venire poſt me. Si quis meus vult eſſe diſcipulus, &c. Ac ſi diceret, Nemo venire tenetur, nemini venire præcipio, nemo ad ſacrum hunc ordinem inuitus aſciſcitur.

Tertiò

Tertiò, quasdam præscribit leges, & conditiones, quibus non seruatis, non vult admittatur quisquam ad sacrũ discipulatus ordinem. Et hæc sunt, quæ istis continentur Christi ad turbas verbis, cum ait, Si quis venit ad me & non odit patrem & matrem. &c. Non omnibus enim sed solis hæc præscribuntur discipulis. Licet in ea, quæ de necessitate sunt salutis, omnibus dicta sint à Christo, & præcepta, sunt tamen nonnulla, quæ aliis cum consulantur, tantum in discipulis Christi necessariò exiguntur. Non omnibus dictum est, Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veniens sequere me, sed illi, qui perfectus esse volebat Christi discipulus. Neque omnibus dictum est, vt relinquant omnia quæ possident, neque omnibus, vt relinquant vxores, patrem & matrem: sed illis tãtùm, qui ad sacros discipulatus Christi volunt ordines ascendere. Per hæc ergo verba, Si quis venit ad me, & nõ odit patrem suum & matrem, & vxorem, &c. assero Christum aliquid in discipulis exigere suis, quod non requirebatur in reliquis de turba Christianis, & discipulorum nomen certum designare, sibi adhærentium ordinem, à reliquis de turba distinctum hominibus. Restat inquiramus quid sit singulare istud, quod in discipulis requiri

quiri Christi per hæc indicatur verba, & à reliquis non exigitur Christianis. Non potest per id, quod omnibus conuenit, & commune est, distinctio inter homines inueniri, oportet ergò id per quod suos à reliqua turba distinguit hîc Christus discipulos, illis conuenire solis, aut saltem in illis solis necessariò exigi. At non amare patrem aut matrem plus quàm Christum, omnibus præceptum est. Paratum esse, vt quis patri, matri, vxori, fratribus, sororibus, & omnibus mundi diuitiis, citius quàm Christo renunciet, non solis præcipitur Christi discipulis, sed etiam omnibus de turba Christianis. Non hoc ergo est, quod particulariter exigit hîc Christus in venientes ad eum, vt sit eius discipulus. Quid igitur sit illud diligenter inquiramus. Odisse patrẽ & matrem, vxorem, fratres & sorores, quoad mentis affectionem, omnibus prohibitũ est, maximè autem Christianis, quibus præcipitur etiam inimicos diligere, quibus iubetur suas viri vxores diligant, sicut Christus dilexit Ecclesiam, Christus autem non oderat Ecclesiam suam. Quid ergo per odiũ istud, quo discipulis præscribitur oderint patrem, matrem, vxorem, & fratres, Christus significatum voluit? Dicam quod sentio. In odio duo sunt, vnum est affectus, alterum est effectus

ctus. Affectus est, quo quis vellet, quem odit non esse aut malè illi esse. Effectus est separatio,& fuga ab eo,quem oderis, seu derelictio illius,cui malè vis. Sicut in amore affectus est quo ei, quem amas bene cupis, effectus est,illi adherere,illi vniri,vnum cum illo effici,illi coniungi. Per odium in hoc loco Christus non affectū, quo male parentibus, aut vxoribus velint, in discipulis exigit, sed effectum odij, qui ab ea re separatio est, quæ odio haberi iubetur,quod eam rem deserere est,& derelinquere, quam discipulos odisse præcipit. Vult Christus dicere, in eis qui veniunt vt sint ex eius discipulis,sic erga parentes, vxores, & fratres habere se debere, ac si eos odissent. Qui vxorem odit, ab ea fugit, ab ea separatur,non illi coniungitur,non illi cohabitat,illam deserit,& relinquit.Ita faciendum est futuro Christi discipulo, si vxorem habet.Nō sufficit spiritualiter ab ea separari, sed cum effectu & realiter, ita atque si eam verè odio haberes,relinquēda est. Omnibus Christianis permissum est generaliter relinquant patrem, & matrem,& vxoribus adhereant suis:in Christi exigitur discipulo,vt relinquat patrem,matrem,fratrem,sororem, & vxorem,vt soli adhereat Christo,vt totum se non diuisum,non sui tātùm partem,Christi
dedicet

dedicet seruitio. Qui cum vxore est, ait Paulus, solicitus est, quomodo placeat vxori, & quomodo placeat Deo, & ideo diuisus est. Qui autem sine vxore est, solicitus est, quomodo placeat Deo, vt sit sanctus corpore, & spiritu, & sic vnitus est. Vnitas habet omnes suas vires, vt posit ex omnibus viribus suis, ex toto, & integro corde, nō diuiso & partito, Dominum Deum diligere, illi seruire, illi adhęrere. Et sic quod Paulus Corinthiis aliis verbis dicit, & consulit, hîc Christus per odiū istud in patrem, matrem, vxorem, & fratres, a suis exigere se discipulis, eleganti admodum declarat metaphora. Reliquis de turba Christianis dictū est a Paulo, De virginibus præceptum non habeo, consiliū autem do. Discipulis autem suis non consilium, sed præceptum dat Christus de vxore propter se deserenda, dum ait, aliàs non posse eum qui venit ad se, discipulum suum esse. Quid enim sibi vult, non potest meus esse discipulus, nisi idem ac si dixisset, non licet illi discipulum meum esse. Qui ergo vxorem habet, & eam non deserit, Christi non potest esse discipulus, id est, illi hoc non licet. Omnes qui nos carnis attingunt consanguinitate, deserendi sunt, vt Christi simus discipuli. Deseratur pater & mater, deseratur vxor, frater, & soror,

adhuc autem & anima propria ἐμφατικῶς dictum hoc est ad maiorem præcedentium declarationem, ac si diceret. Sic omnibus quæ quis possidet, perfectè renunciari iubeo, vt etiam animam suam, si fieri posset, deserere quoque vt discipulus meus sit deberet. Hoc est dictu, Tãta est discipulatus mei dignitas, tam sacer est ordo iste, tam altus honoris gradus, tantam requirit solicitudinem, curam, & diligentiam, vt tanto rectè quis munere fungatur, vt etiam si fieri posset, animam suam, vitam suam negligere, & deserere eius gratia debeat. Tãtum abest, vt graue illi esse debeat patrem, matrem, vxorem, fratres relinquere, ab eisque separari. Vnumquodque eorum, quæ hic memorantur, eo relinqui modo iubetur, quo relinqui potest. A patre, matre, vxore, fratre abire, eósque fugere, & deserere possumus, ab anima fugere non possumus, aut eam relinquere: attamen quod possumus faciendum est. Abnegare enim etiã nosmetipsos iubemur, vt simus Christi discipuli. Id est nullius alterius rei, preterquam Christi habere curã, non querere nostra, sed quæ Christi sunt. Vt non queramus nostra renunciandum illis est, quæ magis nostrã sunt, quæ magis habemus chara, vt solùm quomodo Christo placeamus solicíti simus. Nemo miretur

ergo,

ergo, si Christus dixerit propter tam sacrum munus, deserendam vxorem esse: nam tam excellens est hic gradus, & tanti meriti, quòd etiam si fieri posset, anima quoque propria deserenda propter hoc munus esset. Quod dixerim contra eos, qui talem tantum derelictionem vxoris, exigi hic in discipulo Christi dicunt, qualis debet esse, & animæ suæ. Videlicet spiritualis tantum intelligatur esse, & non corporalis separatio, quæ inter futurum Christi discipulum, & eius exigitur vxorem, qualis sola esse potest inter hominem & animam suam. Quibus dictũ sit, Christum hic tantam exigere separationem, quanta perfectissima esse potest secundum rei, quæ deserenda est naturam. Animam deserere, & esse non possumus, vxorem quidem sic. Anima ergo, quæ spiritualis est, spiritualiter relinquatur, vxor quæ corporalis est & carnalis, corporaliter, carnalitérque deseratur. Præterea, vt iam dixi, si spiritualis tantum separatio, inter virum hic præsciperetur & vxorem, nihil magis exigeret hic Christus in futuro suo discipulo, quàm in quolibet requiritur de turba Christiano. Quibus omnibus præcipitur, sint semper animo parati, ad omnes deserendos, ad vitam quoque hanc perdendam Christi & fidei illius causa. Quare nul-

lus alius posset esse verborum istorum Christi literalis sensus, præter eum, in quo exposita à nobis sunt. Atque hunc quidem genuinum esse eorum sensum, ex aliis Christi verbis luculenter satis ostenditur. Nam cum Apostolus Petrus, suo cæterorumque discipulorum nomine dixisset Christo, Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? Respōdit illi Christus, Amen dico vobis, quòd vos, qui reliquistis omnia, & sequuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Eleganter dixisset hic Petrus, Ecce nos odio omnia habuimus, & sequuti sumus te. Quod idem fuisset, ac si dixisset. Iusseras odio haberemus patrem, matrem, vxorem, fratres, sorores propter nomē tuū: Quod iussisti fecimus. Ecce reliquimus omnia, & sequuti te sumus. Quid ergo nobis repones pro hac nostra obedientia, premij? Quod autem istud reliquisse omnia, comprehendat reliquisse patrem, matrē, vxorem, fratres, & sorores: audi Christum in consequentibus id declarantē. Et omnis, inquit, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorē, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum

Mat. 19 Luc. 18

tuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Et apud D. Lucam 18. cap. Amen dico vobis, Nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios, propter regnum Dei, & nō recipiat multo plura pro hoc tempore, & in sæculo futuro vitā æternam. Quod Christus alibi dixerat, neminem posse suum esse discipulum, nisi patrem, matrem, vxorem odisset, hic dum præmiū id fidelibus proponit: quomodo intelligendum sit odium illud declarat, cùm id esse eos relinquere, vt sibi seruiant, ostendit. De isto quoque odio intelligendum est istud Matth. 10. Non veni pacem mittere, sed gladium. Nomine gladij odium significat sed quid illud sit odium, quis gladius, statim declarat, cum ait: Veni enim inquit, separare hominem aduersus patrem suum, filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrū suam, & inimici hominis domestici eius. Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Et qui amat filium, aut filiam plus quàm me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Qui inueniet animā suam perdet eam, & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Lucæ autem 12. pro gladio ponit separationem. Putatis, inquit, quod pa-

cem veni dare in terrã. Non dico vobis, sed separationem. Verba autem ista dixit Apostolis, cum eos mitteret prędicatum Euangeliũ. Quòd autem odium illud, de quo Lucæ 18. agitur, renũciationem & separationem significet, claré docet ipsemet Christus apud D. Lucam 14. dum propositum suum de illo odio habendo erga matrem, patrem, vxorem &c. concludendo, post duo proposita exempla, vnũ de ędificaturo turrim, qui prius computat sumptus, alterum de bellum commissuro cum aduersario se potentiori, ad quẽ ideo legatos de pace mittit, ita ait, Sic ergo ex vobis omnibus, omnis qui non renũciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus, ac si diceret, Sicut necessarium est homini ædificaturo turrim sufficiẽtes habere sumptus, & bellum gesturo cum aduersario potenti, exercitum habere aduersarij viribus parem, sic necessarium est ei, qui meus esse vult discipulus, omnibus renũciare quæ possidet. Quod per partes anteà dixerat: quòd oportebat odisse patrem, matrem, vxorem, fratres, & sorores: nunc in vniuersali concludit exponendo, quid sit illud odium, dicens, Qui non renũciauerit omnibus quæ possidet, nõ potest meus esse discipulus. Vides ergo, vt rectè exposuerim odio habere, pro renuncia

nunciare alicui, separari ab aliquo, relinquere aliquem. Vides vti ex horum variorum Christi verborum collisione ad inuicem facta, genuinum & literalem verborũ Christi de odio habendo vxorem, & patrem, &c. conclusimus eum esse, quẽ suprà diximus. Quo habito cõsequenter quoque sequitur, sacerdotum cœlibatum ex Christi esse institutione, de iure esse diuino, & de necessariis conditionibus in futuro Christi discipulo. Adeò quòd qui habent vxores, nisi illis renunciẽt, non possunt, id est, illis non licet esse sacerdotes. Hoc enim solùm possumus, quod iure possumus, inquit Iurisconsul. Hinc quoque intelliges, quomodo vinculum matrimonij (de quo Christus dixit, Quos Deus coniunxit, homo non separet) per votum cœlibatus, & castitatis, quod emittunt discipuli Christi soluitur. Verum tamen est, quòd non ab homine, sed à Deo separatur, qui hanc in discipulis suis cõditionem posuit necessariam, & qui præmium ingens, tale quid facientibus promisit. Concludamus ergo cœlibatum in sacerdotibus de necessitate requiri, aliis autẽ sub consilio esse, sed ad illum, magnis propositis à Christo præmiis, inuitari omnes. Dicimus itaque Christum cœlibatus sacerdotum institutorem, authorémque esse, quem exem

plo suo, præcepto, & ingenti proposito præmio, Apostolorum exemplo, Ecclesię suę catholicæ, quæ Romana est, praxi & vsu, mirũ in modum cõmendauit, & cõfirmauit, idque adeò firmiter, vt nullis conuelli potuerit hæreticorum machinamentis, nullis posśit hominum dispensationibus tolli. Ego certè, vt verum fatear, vehemẽter demiror, quomodo in tanta verborum Dei claritate, cœlibatũ ex iure esse diuino, Christique institutione tot viri, alias doctisśimi nõ videant. Miror quomodo ex solo positiuo iure, & Ecclesię constitutione introductum esse dixerint, cum tamen res sit tanti momẽti, quod introduci in Ecclesiam, sine expresso Dei non potuerit mandato, qui aliàs reliquis hominibus, non præceptum, sed consilium, de cœlibatu dari voluerit. Quod sub cõsilij libertate relictum erat à Christo Christianis, nõ crediderim ab Ecclesia redigendum vnquã fuisse sub præceptum, sine expresso sui magistri mandato. Quod non dubito illam per fidei suæ legatos, & magistros, Apostolorum principes, fideliter accepisse, & diligenter custodisse, absque eo quod vlla vnquam interruptione legem hanc cœlibatus intermitti, apud eos reliquerit, qui suis mandatis obedientes esse perstiterunt. Immò crediderim non posse Eccle

siam

fiam hanc, etiam si vellet, tollere legem. Desistant ergo matrem suam Romanam mordere Ecclesiam, illique indignari rebelles eius filij, quasi ipsa hoc illis iugum humana imposuerit voluntate, & non diuino potius magisterio & mandato. Quod etiā si absque expresso Dei mandato illis imposuisset, Spiritusancto agente & dirigente, hoc eam fecisse dicendū esset, quandoquidem columna est, firmamentúmque veritatis Sed res bene se habet, quod tam manifestè ex Dei verbo per Christū sacerdotum cœlibatum institutū fuisse docuimus: quatenus illorum insipientia nota fit omnibus hominibus, qui de Dei verbo semper gloriātes, illiq; soli credere se velle prę se ferentes, nihil minus tamen, quàm illud intelligunt, aut ad illius normam opiniones suas emēdare, corrigeréque volunt. Sed videamus quomodo Christus suo exemplo docuit cœlibatum.

Omnis enim Christi actio nostra est institutio. Non est dubiū, quin Christus primus fuerit nouę legis sacerdos, qui ex virgine matre natus, virgo & cœlebs perpetuò vixit, ad cuius imitationē nouæ legis sacerdotes, cœlibes omnes esse debent, castitatémque perpetuo seruare voto, simulatq; ad munus hoc assumpti fuerint.

Secundò docuit verbo & præcepto, cum nullum posse suum esse discipulum dixit, qui vxori non renunciasset, vti superius diximus.

Tertiò hoc Apostoli, reliquique Christi seruauêre discipuli, qui relictis patre & matre, domo, vxore, fratribus, sequuti sunt Dominum, de quibus dicebat Petrus Christo, Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Et istud, omnia, vxorem quoque significabat. Certè D. August. ex his verbis Petri sanctissimos Apostolos votum emisisse paupertatis asserit, & concludit. Ego autẽ eadem ratione qua ait eos fecisse paupertatis votũ, colligo quoque votum eos fecisse castitatis, quandoquidem illud omnia, vxoribus nuncium illos indicat remisisse, ita atque diuitiis temporalibus. Nam vxores inter res sunt, quę possidentur, & Christus exponens quid sit relinquere omnia, idque per singula interpretatus dixit, Et omnis qui reliquerit (vestro scilicet exemplo) patrẽ, matrem, vxorẽ, &c. centuplum accipiet, & vitam ęternam possidebit. Vbi vxorem numerat inter ea, quæ per istud relinquere omnia, intelliguntur. Fecerunt ergo quod Christus iusserat fieri debere, vt essent discipuli eius: odio habuerunt patrem, matrem, vxorem, & fratres propter regnum Dei, propter nomẽ Christi, vt toto illi

adhæ

adhærentem corde,solique illi seruirēt,in ministerio ad quod assumebantur.

Quartò,approbat vehementer, commendátque cœlibatum, quando singulare illud præmiū Apostolis pollicetur, qui primi eius iussa sequentes, cœlibatum vouerunt. Magnum enim quid erit, in vniuersali illo, & generali iudicio in regeneratione,cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ,cum congregabuntur ante eum mortui, viuique omnes, pusilli & magni, adeuntque omnes Angeli,quòd sessuri hi sint super 12.sedes,vt iudicent 12.tribus Israel. Prorogatur eorum iurisdictio in extremum vsque iudicij diem. Hęc singularis prærogatiua primis datur ducibus,qui suo exemplo sacerdotum cœlibatum confirmarunt. Aliis autem,qui eos imitabuntur,ipsisque simul promittitur centuplum in hoc mundo,& vita ęterna in futuro. Quid amplius desiderare auara hominum mens possit? O quàm grata est Deo in suis virtus hæc sacerdotibus,ad quam tanto, imò tot propositis præmiis inuitat. Quādo nihil aliud haberemus,nisi Christum voluntatem suam sic manifestè declarantem,& quàm gratus illi cœlibatus sit exponentem,deberent discipulatus eius professores, sua virtute hāc arripere sponte, quatenus Dei sic voluntati

sese

sese accõmodantes, gratiores illi esse possent. Hic facilè soluitur eorum quæstio, qui an relicta quis vxore, ad sacerdotiũ vel religionem conuolare posit dubitant. Nam Christus ad illicita, tanto proposito præmio, nunquã homines inuitaret. Licet facere quod Christus consulit, ad quod faciendum proposito nos solicitat præmio. Verùm id faciendum est, atque Ecclesiæ, mentis sponsi cõscię sui, faciendũ esse docuit, & præscripsit. Hic quoque confusa iacet Lutheranorum, & similiũ Epicuri de grege porcorũ imprudentia, qui sacerdotes non Christi exemplo ad cœlibatũ, sed ad vxoratum, carnísque delitias solicitãt, & vocant. O quàm longè distãt à vera Euangelij Christi intelligentia! O quam contrario aguntur spiritu, spiritui Christi! Paulus dum cœlibatum consuleret, pręferrétque matrimonio, spiritum Christi habere se putabat. isti autem cõtrarium consulentes & docentes, de Christi tamen spiritu gloriari audent. Christus discipulis vxorum præscribit renunciationem; isti econtrà ad vxorum illos vocant amplexus. Christus, patris, matris, sororum, filiorum, filiarum cura abdicent se præcipit, isti ad rem familiarem curandam, ad vxorum, filiorum, filiarum, solicitas anxiásque reuocãt à Christo curas. Paulus militantes

ſtantes Deo à ſecularibus arcet negotiis: hi verò ſecularibus eos negotiis,totos immergere vellent,atque conantur.& dubitabit adhuc aliquis in tanta rerum claritate, quo acti ſpiritu talia doceant, & ſuadeant? Credent adhuc eiuſmodi homines,ſpiritu afflatos eſſe ſancto? Sed de his alibi fuſius dicturi ſumus, hic contenti cœlibatum docuiſſe ſacerdotũ, iure ex diuino eſſe, Chriſtique inſtitutione, & non ex humana,vt illi oggannitunt, traditione aut inuentione.

Quintò, quod ex vſu, praxique patet Eccleſiæ Chriſti,Eccleſię inquam Romanę,quę praxis,optima Chriſti legum & inſtitutionũ interpres,expoſitrixque eſt. Hæc vt ex hiſtoriæ Eccleſiaſticę ſerie patet, nũquam permiſit ſacerdotes vxores ducerent, aut ad ſacerdotium promouerentur vxores habentes, niſi ab eis quoad thorum ſepararentur. Quòd ſi Græcorũ alleges exemplum, reſpondero tibi Græcos ſemper duræ ceruicis homines fuiſſe, & vt plurimum, malas beſtias, & pingues ventres, carnis nimium curam in delitiis habentes, quorũ proteruiæ non conceſsit, ſed tolerauit eccleſia, qui vxores haberit ad ſacerdotium promoueri poſſent, abſque eo, quòd illis renunciarent: nũquam autem, ne à Græcis quidem, iis qui iam ſunt ſacerdotes,

tes, vxores ducere possent permissum fuit. Quare & iis qui vxores habentes ad sacerdotium promouentur, quando eas mori cõtingit, alias in earum locũ ducere nulla ratione conceditur. Hæc fusius hic declarare, præsentis non est speculationis. Vbi hanc ideo ingressi sumus digressionem, quia nostro proposito, ad virginitatis ipsius Ioseph probationem, demonstrationisque nostræ vltimæ ad id probandum illustrationem, non parum seruit. Nam vbi Christi sacerdotibus ex diuino iure indictum esse castitatis perpetuæ votum probauimus, eo inter cæteras præcipuè causas, quod sacratissimũ Christi corpus consecraturi, manibusque contrectaturi erant, quia ad veritatem propositionis causalis, oportet eius vniuersalem affirmatiuam esse veram, istius autem hæc est vniuersalis. Omnes quotquot ad sacri Christi corporis contrectationem admittuntur, castitate perpetua deuinctos Deo esse conuenit, & oportet. Omnes dico, qui ad hoc ex officio vocãtur, qualis erat beata Virgo primùm, deinde beatus Ioseph, postea Apostoli & sacerdotes, sequitur consequenter Iosephum, qui ad simile ex parte eligitur officium (nam sæpè sæpius sacratissimũ Christi corpus propriis erat contrectaturus manibus)

bus) castissimum quoque fuisse, & perpetuæ castitatis voto Deo consecratum. Neq; ad ratum munus vidualem sufficere potuisse castitatẽ existimarim, quãdoquidem non insensibiliter, & inuisibiliter, vti sacerdotes, sed sensibiliter, & visibiliter, tam sacrum erat palpaturus pignus, quod maiorem, vt puto, exigebat in illo puritatem. Vt castitas virtus est, tres eius ponit Theologus species, quarũ duas tantum admittit ad sacerdotium, virginalem scilicet, & vidualem, coniugalem autem a sacerdotio reiicit, & submouet ex Christi mandato Ecclesia, indignum existimans eum qui cum vxore miscetur, & eius pollutus tactibus, ad sacri corporis admitti contrectationem. Bigamum autem ideo reiicit, quia illius non fidit continentiæ. Qui enim per secundas iam nuptias suæ dedit experimentum fragilitatis & incontinentię, non ea dignus est reputatione, cũ credat etiam promittenti, vel iuranti, se futurum perpetuò castum. Iosephum itaque dico non fuisse fornicatorem, quia iustus erat, non fuisse viduum, quia bigamus per Marię nuptias futurus fuisset, neque simul duas habuisse vxores, quia bigamus etiam fuisset, & magnę incontinentiæ dedisset argumentũ. Dico hoc prodidisset nimis illum mulierosum, & parum continentem·

nentem: quare prudenti Virgini suspectus vehementer fuisset. Relinquitur ergo, quod solam Mariam vxorem habuit, quam cum nunquam cognouerit, & nunquam, quia iustus erat, fornicator fuerit, consequens est semper virginem fuisse. Virginitatem autem quæ Deo non est dedicata, & per votum ei oblata, non esse Deo ita gratã, atque eam, quę ex voto est, ex Diuo iam ostendimus Augustino. Certè ex prudentia Virginis efficacissime probatur, eum voto perpetuę virginitatis se Deo consecrasse. Idque ad hunc modum declaramus. Non fuisset satis prudens beata Virgo suam cõmittendo ei virginitatem, de quo non fuisset certa, quòd non esset fornicator. Viduo quoque illam cõmittere, tutum quoque non fuisset, qui post Veneris experientiam de fragilitate carnis, suspectus illi iure esse debebat. Transit enim velut in naturam, ex multis actibus contracta cõsuetudo & habitus, quare in Venerem inclinatiorem futurum eum, si suspicata non fuisset, minus habuisset, quàm par erat prudentiæ. Quid ergo restat? Elegit virgo virginem, similis sibi similem. Sed adhuc requiritur in prudente virgine, virginitatem seruare proponente, quam suspiciosam, quã pauidam semper esse decet, antequàm viro se cõmittat, vt

cum

cum eo sola cum solo moretur & habitet, securitatem ab eo exigere quantâ poterit maximam, eúmque obstringere quanta maxima possit obligatione, de non cognoscedo vnquam illam. Ideo non debebat Mariæ sufficere, quod Ioseph illi dixisset, Maria tutò mihi nubere potes, Nam ego proposui apud me, sicut & tu, virginem perpetuo esse, & ego hoc tibi promitto. Multa vt eas deciparit, puellis & virginibus promittere homines solent, quibus cósulit impius quidam vir. Polliceas licet, pollicitis diues quilibet esse potest. Non fuisset satis prudens beata virgo, si simplici illius fidisset pollicitationi, vel simplici verbo. Et ideo quia inter omnes obligationes, quibus fidem alteri obstringere suam quis potest, ea quæ Deo per solemne fit votum, maior est, & indissolubilior, dixisse illi Mariam crediderim. Fac votum Deo cœli te perpetuò futurum, sicut ego, idque præsentibus testibus, ne quis imprudentiæ & fatuitatis meritò me arguat, quòd virginitatem seruare volens, sufficientem à te de indemnitate mea non sumpserim cautionem, antequàm tecum cô fenserim simul habitare, in tuaque esse potestate. Maior autem cautio, quàm homo homini, de non fallenda sibi fide dare potest, est vouère Deo, idque præsentibus testi-

bus,se promissis esse staturũ. Si millies promisisset Ioseph virgini,se futurum perpetuò virginem, non adhuc tanta fuisset ad id faciendum & seruandum obligatio, atque votum virginitatis faciendo Deo. Ex prędictis documus non licuisse virgini suum sponso celasse votũ, & non illi dixisse palam & manifestè,se votum fecisse Deo,de nunquã cognoscendo virum, antequàm illi desponsaretur. Votum enim virginis solemne fuisse ex eo colligo, quòd impossibile sibi dicebat cognoscere virum,& ex eo,quod nunquam consensit Angelo filium promittenti, donec plenius edocta fuit,salua se virginitate,Spiritus sancti operatione concepturam eum esse. Vnde credo quod cum ad annos peruenit discretionis, in templo in manibus sacerdotum,prędictum emiserit votum. Nam in simplici voto cadere potest dispensatio, quod impedit quidem contrahendum, sed non dirimit contractum matrimonium. Ideo quando de illius agebatur desponsatione, non dubito,quin prudens virgo, Theologorum petito consilio,& in tam graui materia, forsan etiam summo consulto sacerdote, diligenter inquisierit,quid facto opus esset pro suę securitate cõscientiæ. Votum suum solemne esse allegabat & perpetuum,non ad certum factũ

tempus,

tempus, vti Nazareorum erant vota, tale votum non cadere sub dispensatione sciebant omnes. Non dubito ergo quin inter legis, qui tum erant doctores, multum diúque de Mariæ actum fuerit desponsatione. Cum autem tradenda erat viro, idque omnino faciendum esse, legisconsultorum decreto definitum esset, virum elegit, diligenti de eius vita, & moribus facta prius inquisitione, vt certa fieri posset & secura, quòd nulla suæ immineret, aut ingrueret ab eo virginitati periculum. Imo dum ipsam penitus rem dispicio, aliud necessario astruendum video, quatenus virginis prudentiā omni ex parte fuisse perfectam, sustinere valeamus. Non enim suffiicit virgini, virginitatem perpetuò seruare vouenti, scire cum quo sit habitatura sola cum solo, virum simili atque ipsa Deo obligatum esse voto, nisi altàs per veram & fidam reuelationem, certior à Deo fieret in suo seruando voto, talem perpetuò constantem futurum. Quis enim prudentē diceret adolescentulam religiosam, si ideo cum viro aliquo sola cum solo morari vellet, quia vir ille castitatis perpetuæ voto obstrictus Deo esset? In occasionum peccati fuga, certaminis casti tatis consistit victoria. Ideo in Iosepho votū non sufficisset virginitatis ad hoc, vt illius

se virgo cõmittere custodiæ tuto posset, nisi antecessisset,& de illius perseuerantia, certa diuinitus facta reuelatio. Quæ omnia dicere cogor ad virginis saluandam prudentiam, quæ occasiones deuitare omnes violandi votum, magna cum solicitudine tenebatur & cura. Et sic exegit eius prudentia, de viri certa esset volũtate & voto, altera ex parte certa quoq; esset, de speciali cõcedẽda illi a Deo perseuerandi gratia, constantiáque. Quibus habitis à nullo iustè reprehendi potuit, vt imprũdẽs, aut fatua, eo quòd virginitatẽ seruare proponens, sola cum solo cohabitare consenserit viro. Quod aliàs prudenti nulli faciendum erat virgini. Duas nobis dedit Deus matres, ambas prudentia, ambas sapientia, ambas Dei gratia, & Spiritusancto plenas, beatam scilicet virginem Mariam (cui dum Christus in cruce dilectum discipulum tanquam filium commendauit, omnes in illo Christianos, fratres suos, matrísque suę filios fecit adoptiuos) & sanctissimam matrem Ecclesiam. Hæc prudenter summouit à sacri Christi corporis contactu coniuges bigamos, fornicarios propter incontinentiæ eorum & fragilitatis suspitionem vehemẽtem, illa virginitatis suæ sacratíque Deo corporis, nullum, neque bigamum, neque suspectum de incõtinentia sed solum virginem virgini-

tatis voto Deo consecratum,& perfectæ sibi notæ sanctitatis voluit esse custodẽ. Antiqui patres dum causas reddunt, cur sacerdotibus vxores ducere non liceat, argumenta sumunt efficacissima ab vmbra veteris legis & figura, ad veritatem, quæ nobis sub noui testamenti exhibita est gratia. Ex reuerentia, 1.Par.13
quę veteris debebatur arcæ testamenti, quanto maior noui testamẽti debeatur arcæ optimum ducitur argumentum. Oza ne caderet hanc quondam tangens, cum ipsi arcę lascivientibus bobus periculum immineret, subita à Deo interemptus fuit morte, quamobrem Dauid in suam illam introducere domum ausus non est indignitatis suæ conscientia ductus. Et timuit, inquit scriptura, Deum tunc temporis, dicens, Quomodo possem ad me introducere arcam Dei? Cur autem Oza sic repentina fuerit morte percussus, ferunt communiter expositores, id ideo illi euenisse, quod præcedenti nocte cum vxore dormisset. In Dauide quoque propositionis panes ex famis comesturo necessitate, mũditiam exigebat Abimelec, vt scilicet tribus antè diebus ab vxorum abstinuissent amplexibus, ipse eiúsque pueri & serui. Hæc autem futurorum vmbra tantùm erant. Quod si in futurorum bonorum tan-

gendis figuris, tanta exigebatur munditia & abstinētia ab opere, alias populo illi licito: quanto maior requiritur ab omni pollutione in noui testamenti ministris puritas, qui ipsa futura bona, propriis contrectant manibus? Si panis propositionis cōtrectatio, trium dierum exigebat ab vxoribus abstinentiam, an non iure totius vitæ exigent castitatem, ipsa sine vlla comparatione maiora, vmbris illis figurata bona? Vide quantum inter corpus interſit Dei, & panes propositionis. Vide quantum inter manna & sacratiſsimū Christi corpus. Vide quanta puritas exigebatur in iis, qui veteris testamenti propius accedebant ad arcam. An non noui testamenti viua arca Maria, quæ verū manna, verum panem cœli & vitæ, in suo per nouem menses portauit vtero? Quanta ergo exigebatur inhabitaturo cum ea Iosepho puritas, ipse tecū reputa. Quanta ab omni muliere cōtinentia, in ipsum vitæ panem toties attrectaturo requiritur? Duplex in illo causa tantam exigebat mētis munditiem, & corporis, quod scilicet noui testamenti arcæ cōtinuus designatus erat custos, cuius figuram Dauid quantuncunque vir secundum cor Dei, in suam introducere non ausus est domum. In domo Ioseph, apud ipsum Ioseph sub custodia Io-
seph

ſeph,cuſtodienda ſeruādáque arca hæc erat. Altera cauſa eſt,quòd ipſum manna de cœlo miſſum,proprijs erat viſurus oculis,proprijs contrectaturus manibus. Vidêre quondam viri Bethſamites arcam veteris teſtamenti nudam,introſpicere auſi ſunt,pollutiſque oculis,quod continebat cōtueri manna, rem tamen mortuam, vmbrámque tātùm Christi. Quid illis accidit? Quinquaginta hominum ex ipſa plebe millia ſubita à Deo occiſi ſunt morte,& ex principibus ſeptuaginta. Et quæ cauſa tam terribilis Dei irę,tam ſeuerę vindictæ? Immundi & polluti propius accedere auſi ſunt ad arcā illam,& eam intueri. Quid ergo Ioſeph? Poſſet ne cum Maria viuere pollutus & immundus,fornicatione,adulterio,aut bigamia coinquinatus? Nihil minus. Zelus domus ſuæ feciſſet, quòd Dei illum conſumpſiſſet, & deuoraſſet ira. Et de vero Manna quid? Etiam citra certum vitæ periculum non poterat niſi à mulieribus mundus, illud in ſua habere domo,illud quotidie cōtueri,manibúſque contrectare. Vrgentia ſanè argumenta,ad ſancti Ioſeph probandam caſtimoniam, & ſanctam virginitatem, atque perpetuam ab omni muliere abſtinentiam. Idem nobis Deus,qui & tūc. Idem puritatis, caſtitatis,munditieique amator,cauſæ autem

exigendarum harum maiores & vrgētiores. Hęc arbitror exempla illustrabūt, lucémque magnam superius positis demōstrationibus afferēt, ad virginitatis perpetuæ ipsius Ioseph probationē. Ex quibus omnibus rectè consideratis, magnum sibi parabit vnusquisque iudicium ad rectè de iis pronunciandum, quæ apud antiquos patres magna & mirabilia de Mariæ & Ioseph dicuntur sanctitate, & coniugio. Certè dum Mariæ prudentiam sapientiámque considero, & causas propter quas desponsata viro fuit, apud me reputo, credere cogor veras esse historias illas, quæ de miraculosa eius conceptione, oblatione, & dedicatione eius, à suis Deo facta parentibus, déque eius diuinitus facta desponsatione narrantur. Neque difficile persuaderi me sinam, huius arcæ singularem, specialémque semper habuisse Deum curam. Quare, & quod narratur de frequenti angelorum cum illa cōuersatione, eorumq; visionibus, & apparitionibus, eadē crediderim facilitate, atque pietate. Præsertim cū de his multa apud grauissimos sanctissimósq; reperiātur authores, quibus in pia etiā causa, mentiri religioni erat. Ex quibus aliqua hîc dixisse & allegasse non abs re fuerit, quū ad rectè de iis sentiendum, lectoris disposuerimus animum.

Gregorius

Gregorius Nyssenus Basilij magni frater, *Serm. de natiuit. Domini.*
sic de Mariæ natiuitate, oblatione in templo,
& desponsatione scribit. Prius autem, inquit,
quænam hæc, & vnde sit, ex iis, qui rem ge-
stam de ea memoriæ prodiderunt audiamus.
Audiui igitur arcanam & occultam quan-
dam historiam, eius de ea memoriæ pro-
dentem narrationes. Insignis quidam in illa
erat secundũ legem viuendi ratione, & no
bilis propter summã virtute, pater virginis
erat: sed expers sobolis consenescebat, pro-
pterea quòd coniunx eius ad liberorũ pro-
creationem apta non esset. Habebatur autẽ
matribus ab lege quidam honor, cuius hono
ris steriles participes non erãt. Imitatur igitur
hæc quoque ea, quæ de matre Samuelis nar-
rantur, & sanctum sanctorũ ingressa supplicat
Deo, ne legis beneficio priuetur, quæ ni-
hil in legem peccasset: sed vt mater fieret, ac
Deo, quod gigneretur, consecraret. Confir-
mata autem nutu diuino, donum quod pe-
tiit accepit. Quum autem nata esset puella,
nomen quidẽ imposuit ei Mariam, vt etiam
per nomen impositum, diuinitus datum
munus significaretur, quum autem puella
iam grandis euasisset, vt mammæ admoueri
eam amplius opus nõ esset, haud cũctata est
eam ad templum adducere, ac Deo reddere,

atque promissum præstare. Sacerdotes autem exemplo Samuelis, in sacris puellam intertim educare, sed cum creuisset, & adulta esset, consilium agitare, ne quid de sacro illo corpore statuentes, in Deum peccarêt. Nam subiugare eam legi naturæ, & addicere quasi seruam, si quis eam in matrimonium duceret, res longè absurdissima, miniméque deco ra videbatur. Sacrilegium enim prorsus existimabatur, si homo ius ac potestatem in do narium, quod Deo consecratum, ac dedicatum esset, haberet, quoniam legibus sancitum, & constitutum est, vt vir potestatem habeat in vxorem, vt autem intra templum vnà cum sacerdotibus mulier versaretur, & in sanctis conspiceretur, neque consuetum, & vsitatum erat. & simul grauitas & honestas rei, non aderat. Deliberantibus igitur eis super hac re, diuinitus incidit consilium, vt darent eam quidem viro nomine desponsationis: is autem ad custodiendam virginitatem eius idoneus esset. Inuentus est igitur Ioseph talis, qualem ratio consilij requirebat, ex eadem cum virgine familia, ac tribu, isque de consilio sacerdotum sibi puellam despondet. Coniunctio autem non vltra sponsalia progrediebatur.

In eodem quoque sermone testatur, ideo Zachariam

Zachariam patrem diui Ioan. Baptistæ lapidatum inter templum & altare fuisse, quòd beatam virginem Mariam iam matrem factam, à cœtu virginum in templo separare noluerit. Sic enim ait, Quod si non longius à proposito rapimur, fortiß etiam eum, qui inter templum & altare trucidatus est, Zachariam, non intempestiuum fuerit in testimonium incorruptæ, atque integræ matris adhibere. Sacerdos hic Zacharias erat: non solum autem Sacerdos, verumetiam prophetiæ dono ornatus. Vis autem prophetiæ in libro Euangelij præscripta prædicatur, cum in diuina gratia viam hominibus parans, ad hoc ne incredibile putarent ex virgine partum edi posse, minoribus miraculis ante exercendo. Fidelis ad assentiendum, & credendum assuefaciet sterilis ac decrepita filium parit, id quasi prælundium est, & principiũ extitit miraculi, quod in virgine subsequutum est. Vt enim Elizabeth non potentia, ac virtute naturæ mater fit (quippe infœcunda ac sobolis expers consenuerat) sed ad diuinam voluntatem pueri natiuitas refertur, sic virginei partus incredibilitas per hoc, quòd eares refertur ad diuinam volũtatem, probabilitatem in se continet. Quoniam igitur ex virgine natum, præcedit is, qui ex sterili natus

est

est, qui ad vocem in vtero Dominum gestantis, priusquam in lucem produxisset, in vtero matris saltauit, simul ac natus est verbi præcursor, tunc protinus per inspirationem propheticam silentium soluitur Zachariæ, & quæcunque verba Zacharias proferebat, prophetia atque prædictio futuri erant.

Hic ergo qui spiritu prophetico ad arcanorum, & occultorum cognitionem ducebatur, quum virginitatis mysterium in incorrupto partu animaduertisset, expertem coniugij matrem, ab eo, qui iuxta legem virginibus in tēplo locus attributus erat, non segregauit, docens Iudęos, quod rerū vniuersarum creator, ac Rex omnis creaturæ, sicut res omneis ita naturam quoque humanam sibi subditam habet, sua voluntate eam, quo visum fuerit ducens, ipse contrà potestati eius non obnoxius, adeò, vt in eius potestate sit, vel nouam instituere natiuitatem, quæ ab ea, quæ mater fuerit, hoc ipsum vt virgo sit, ademptura non sit. Quapropter eam in templo à choro, atque cœtu virginum non segregauit. Hic autem locus erat, id interuallū, quod inter templum, & altare intercedebat. Quoniam igitur audiebant regem naturæ certa ac mirifica quadam ratione, ad natiuitatem humanam produisse, metu ne regi subditi fierēt,
eum,

eum, qui hæc de partu illo testificabatur, interficiunt, iuxta altare sacerdotem sacrificantes. Hæc Gregorius.

Scio beatum Hieronymum Zachariam illum, qui occisus est inter templum & altare, alium à patre Diui Ioannis Baptistę fuisse asserere. Sed mihi videtur phrasis loquendi Christi (quę est, à primo ad vltimũ seruum Dei occisum propter veritatem, & iustitiam, ducere argumentum) cum Zacharias de quo Diuus agit Hieronymus, inter vltimos non fuerit à Iudęis occisos prophetas computandus, sed inter medios, plurimum, immò magis huic fauere D. Gregorij, quàm Diui Hieronymi opinioni. Neque argumẽtum, quod in contrarium Diuus facit Hieronymus ab authoritate negatiuè procedens, quicquam efficaciter concludit, dum ait, Nusquam reperiri scriptũ D. Zachariam beati Ioannis patrem, inter templum & altare occisum fuisse. Nam non omnia scripta sunt, & ex traditione patrum potuit D. Gregorius Nyssenus dicisse, quæ dicit.

Nicephorus lib. 1. historię Ecclesię cap. 7. de beatæ Mariæ natiuitate, & desponsatione idem ferè dicit, quod & Gregorius Nyssenus. Postea quam enim, inquit, perfici, atque exhiberi debuit ingens illud, naturámq; omnem

nem superans mysterium, opus fuit prorsus instruere,& præparare vas,quod eum qui incomprehensibilis est cōpræhenderet.Inuenta itaque est beata virgo Maria, dignum Deúmque decens verbi domiciliū, etiā ante natiuitatem Deo consecrata, atque ex membris senilibus,& longè à naturæ feruore alienis,tanquam quidam diuinitus datus fructus producta.Ioachim & Anna parentum erant nomina,ambo accuratiore iuxta præceptum legis,vita,præstantes & clari, necnon primis quibusque & splendidissimis, nobilissimisq; genere cōnumerati. Vitam autem ad senectutem sine prole edita produxerant. Erat enim ad liberorum procreationem Anna aluo infœcunda. Et cum ob sterilitatis causam non haberet cōmunes cum matronis,& matribus à lege tributos honores, exemplo matris Samuelis ipsa quoque fit supplex Deo, & in templo sedulò versatur, ne scilicet à benedictionibus legis excluderetur, sed vt ei matri esse liceret orans. ac quod paritura esset, ipsi Deo dicaturam se esse vouens. Sed enim diuino nutu ad eam, quam petierat gratiam, Anna confirmata,atque roborata, postquàm puella è maternis prodiit locis, Mariam eam statim nominauit, ænigmate latenter à Deo acceptam gratiam declarans. Vt verò infans

à lacte

à lacte materno iam abhorruit, & mammam attingere noluit, promissionem mater adimplet, & in templum ascendens, iuxta votum eam Deo consecrat, tertium iam ætatis agentem annum. Et sacerdotes quidem tum eam, tanquam sanctius quoddam donarium suscepere, & puellam in sacrario fouendam esse duxere, ad antiqui illius Samuelis similitudinem. Itaque illa, vt res diuina intacta, & sacrosancta in templi sanctiore loco, & adytis ipsis viuebat. Postquam autem adoleuit, cōsilium sacerdotes agitarunt, quid de ea statuerēt, ne in sacrum eius corpus admittere quicquam viderentur. Sacrilegium namque prorsus se cōmissuros putabant, si viro eam coniungerent, atque in seruitutem coniugalis legis redigerent, quæ semel Deo dicata esset. E diuerso aurē puellam eo ætatis flore, in sacratiore templo versari, nec permissum lege putabāt, nec rem satis honestam, & decoram esse videbant. Sæpè itaque, & multum re deliberata diuinitus eis per inspirationem ostenditur, vt eam alicui, qui ad templum sedulò esset, sponsæ nomine cōmitterent, eum verò talem esse debere, cui rectè virginitatis custodia demandaretur. Porrò non alius ipso Iosepho visus est esse magis idoneus, ad solorū sponsalium coniunctionē contrahendam, quippe qui

qui propinquitate generis eam contingeret, eiusdem enim tribus erant, insuper verò & senio, & honestate morum iampridem bonæ fidei existimationem consequutus est. Hæc Nicephorus Atque hæc quidem antiqui isti Doctores ex patrum didicere traditione, quę omnia vera esse facilè crediderim, dum mysteriorum contemplor magnitudinem, quæ de Maria, & per Mariam facta sunt. Crediderim quoque vera esse, quæ de miraculosa Iosephi, vt Virginis sponsus esset, & desponsatione eius in natiuitatis illius communiter leguntur historia, scilicet quod circa tempus quo beata virgo ad quatuordecim annorum perueneraτ ætatem, præceptum fuerit a summo Pontifice, virgines omnes in templo educatæ, quę quatuordecim essent annorum, ad parẽtum redirent domum, matrimonióque iungerentur. Cui præcepto cum reliquæ omnes obedissent, sola beata Virgo in templo remansit, asserens & allegans, integrum sibi non esse desponsari viro, quia ipsa mentali virginitatis seruandæ voto, parentum confirmando vota, obstrinxerat consecratáq́, se Deo. Semel autem dicatum Deo, ad humanos non est transferendum vsus. Quæ Pontifex audiens, quid de ea faciẽdum esset statuere certo non poterat. Hinc enim mouebat voto-

rum

rum transgredi iura, si viro eam cogeret cõiungi, præceptúmque sciebat Dei esse, quo cauetur, ne quis datam Deo fallet aut irritam faceret fidem. Altera ex parte, nouum introducere in Rempub. Israelis exemplum seruandæ perpetuò virginitatis, plurimũ metuebat. Postquam eoim determinatæ prædictum à Deo erat Christum ex semine Dauid esse nasciturum, nullis ex illius descendentibus genere, cælibem agere vitam integrum erat. Cum enim determinate dictum esset ex qua tribu & familia nasciturus Christus esset, ad nuptias omnes ex Dauidis vrgebantur progenie, ne per alicuius cælibatum stetisse cõtigisset, ne citius Christus nasceretur, præter quod augendi populi Dei desiderio acti omnes, velut impiũ existimabant nõ nubere, & sterilem esse infamia apud eos, pœnáque reputabatur. Quare Pontificem tum ferunt sapientiores quosque consuluisse doctores, quid in re tam noua, atque insolita facto opus esset. Quæstione autẽ hac diu multúmque inter eos agitata, tandem in hoc conuenere omnes in re tam difficili consulendum Deum esse, ab eóque ieiuniis, & orationibus impetrandũ responsum, ex sacratiori autem templi loco auditum ab omnibus oraculum fuisse, quo cũctis ex familia Dauid matrimo-
k

nio maturis, ad Dei altare accederent præcipiebatur, singulis virgam in manu aridam ferentibus, & cuius virga floruisset, eum à Deo designari, qui virginis sponsus esset, tùm autem Iosephi refloruisse virgam, & super eam Spiritum sanctum in columbæ descendisse specie: quo portento certiores facti, Dei voluntatem esse illi virginem desponsari, illiúsque eam custodiæ tradi, obedière oraculo, & solemnibus cærimoniis virginem in illius fecêre conuenire manum. At, vt superius dixi, hoc antè quàm fieret, non dubito, quin beata Virgo certior de viri facta fuerit proposito, cautionémq; ab eo exegerit, ne quid virginitati suæ ab eo immineret detrimenti. Cautionem inquam, quantam excogitare potuit maximam, maior autem ab hominibus exigi nulla potest, quàm vt non solum hoc virgini, sed etiam Deo solemni promitteret iuramento, & voto. Aliàs irrisuri eam omnes illi erant, ad quos de illius seruandæ perpetuò virginitatis voto peruenerat fama, si absque sufficienti securitatis argumento, vt sola cum solo habitaret, in viri consentiret matrimonium. Scicbat enim virgo illud Hieronymi verum esse, quod habetur 27. d. cap. vouentibus. Vouentibus, inquit, virginitatem, non solum nubere, sed etiam nube-

Hiero. in caput 5. prioris ad Timot.

re

re velle, damnabile est. Cur autem sit damnabile palam est, quia scilicet matrimonium cõsensum continet, in voti virginitatis transgressionem. Quem cõsensum virgo nec in mente habuit vnquam, nec in lingua. Ideo dicendum omnino est, votum suum ante contractum manifestarit viro matrimonium, & in eo contrahendo manifestis exceperit verbis, omnia, quæ pudori votóque conseruando contraria quouis pacto erant. Aliàs non licuisset illi matrimoniũ cum viro contrahere, aut sponsam se illius simulare. Spiritus enim sanctus effugit fictum. Sapiẽtiæ 1. Quæ dum considero, videre mihi videor doctores, qui tum erant, theologiæ, omnesque iuris peritos super Mariæ desposatione disputantes, variè sentire. Nam alij huius erant opinionis, quòd post votum factum de virginitate seruanda, non liceret illi desponsari, aut nubere viro, eo quòd votorum obseruatio de iure esset diuino, alij autem econtra non violandam esse suę consuetudinẽ synagogæ allegabant, in qua nunquã visum fuerat adhuc, tale vouendæ virginitatis exemplum, neque introducendum inter eos esse nouam hanc consuetudinem, cum non sciatur ex qua sit puella nubili nasciturus Christus: videretur namque puella illa nubilis, ad-

uentū populo suo inuidere Mesiç,& quantum in se est, ne veniret impedire, quæ præter aliarum omnium consuetudinē à nuptiis abhorreret, quibus considerātis impium esse asserebant tale virginis votum, ideóque rescindendum. Alij verò, qui sapientiores in lege erant, altera ex parte opponebant, omnes eos scire Mesiam ex virgine nasciturum esse,imminere autem, ex Danielis hebdomadibus, multisque aliis prophetarum oraculis aduentus eius tempus asserebant. Quis ergo scit,aiebant illi, an à Deo inspirata votū hæc emiserit virginitatis? Quis scit an ex ea Messias nasciturus sit? Cum enim constet ex scriptura, virginem grauidam futuram,& pariturā Mesiam, asserendum necessariò est, licuisse huic virginitatis se voto Deo consecrasse. Alij dicebant impoßibile esse virginē grauidam esse,& parere filium, & verba prophetarum in alium transferēda esse sensum, quæ de virginitate matris Christi prædicere videntur,& schisma erat inter eos. Tunc arbitror Simeonem surrexisse prophetam, & iis silentium imposuisse, qui ex virgine non nasciturum Christum asserere ausi erāt, narrasseque tum illis historiam illam quam in suo illo libro Egesippus magnę fidei author, Apostolorumq; temporibus vicinus, habet,
quem

quem Euangelicæ veritatis supplementum inscripsit. Quam historiam cum sit pulchertima, & illius author magni in Ecclesia nominis, authoritatisque sit, & huic mihi proposito congruete visa sit, his inserere non ab re fuerit. Refert ergo Egesippus, quòd Symeō magnus fuerit in Hierusalem doctor, & quòd prælegebat in scholis sacram scripturam. Cum autem expositurus esset illud Esaiæ 7. Ecce virgo concipiet & pariet filium,&c. & inueniens ibi עלמה quod virginem significat absconditā viro, nunquam scilicet à viro cognitā. Id impossibile factu ratus deleuit vnā literam ex illa voce, scilicet, ה & sic remansit tantū עלמ quod iuuenculam significat siue virgo fuerit siue non, sed rediēs ad suum altera vice librum, reperit deleturam repletam vti erat ante deletum, ה, quare iterum dictam deleuit literā, idem tertiò repetens, donec tandem reperit verbum עלמה literis scriptū aureis, & tunc credidit puerum ex virgine nascciturum, & positus in oratione Deum instantissimè rogauit, hāc illi gratiā facere dignaretur, vt videre posset ante quàm moreretur Christum Domini ex virgine natum. Et responsum tandem habuit à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.

Responsum enim cum relatiuè se habeat ad petitionē, præsupponit eum prius petiisse à Deo, quod per Spiritum sanctum respōsum illi fuit. Certe Nycephorus libro 1. historiæ suæ cap. 12. asserit illum hæsitasse, quomodo virgo manens virgo concipere, & parere filium posset,& Angelū Domini tunc illi reuelasse, quod antequā moreretur, ipsum virginis filium videret, factique testis esset. Eius verba sunt hæc, Hunc Symeonem, fama est, ex his fuisse vnum, qui virtute, dignitate, vitæque sanctitate excelluerunt, qui cum aliquando illi prophetæ Esaiæ oraculo legens incumberet quod ait, Ecce virgo vterum gestabit & concipiet filium, & de diuini eius responsi fide ambigeret, angelū ita fluctuanti ei astitisse ferunt, cum oraculo eiusmodi, Non illum prius vitæ huius vinculis solutum iri, quàm id, de quo credendo dubitasset pro foribus primo quoq; tēpore appropinquans,& oculis ipse suis conspectum, testimonio suo confirmaret. Quam ob causam ad tantum senium prouectus, quam Christū Domini oculis suis conspexisset, eūdemque in vlnis gestasset, carnis mole protinus solutus, atque liberatus est. Hanc veram esse historiam credo, ob maximam, quam habet cum Euangelica historia conformitatem,
cuius

cuius pulcherrima expositio esse mihi videtur. Egesypus sanè ex Apostolorum discipulis, quorum adhuc aliqui suo viuebant tempore, id quod ex eo attulimus didicisse potuit. Nycephorum autem, ex antiquorum historiographorum testimonio, ex quorum libris suam conflauit historiam, quæ hac de re scripsit accepisse, non dubito. Sed ad propositum redeamus. Existimo dictum Symeonem non tacuisse hanc sibi reuelatã fidei veritatem, & scripturæ interpretationem, maxime cum tunc dubitaretur inter Theologię doctores an Messias ex virgine nasciturus esset, occasione ex voto virginis sumpto, & forsan illius con filio factum fuit, vt pro diuina impetranda reuelatione, ad orationem se omnes conuerterent, totamque causam virginis, diuinæ committerent prouidentiæ. Quicquid sit, quia virgo suum, sicut non licuit illi, votum non celauit Pontifici, dum de sua ageretur desponsatione, certum est, vt erant tum legis suæ zelatores Iudæi, magna cum maturitate & consilio, in tam noua re Pōtificem processisse. Ex magnitudine autẽ & raritate mysterij, & principiis supra, positis, pronuntiandum semper est, tum de his historiis, tum de reliquis, quæ de hac causa antiqui scripsere doctores. Ego certe credo,

etiam verum esse, beatũ Ioseph in vtero sanctificatum fuisse matris, quod nonnulli asserunt doctores. Credo quoque ex matrimonio hoc cum virgine contracto, illiúsque cohabitatione, noua Spiritus sancti gratia repletum eum fuisse. Si enim ingrediente in domum Zachariæ beata Maria, statim ad salutationis eius vocem repleta est Elisabeth Spiritu sancto, & Diuus Ioannes eius filius in matris sanctificatus vtero, quid quæso de Ioseph, in cuius domum non solum ingressa semel Maria fuit, sed eum quotidie salutare solebat, sentiendum esse putas? Si enim veteris testamenti arcæ præsentia totam domum Obededom Dei benedictione repleuit, quid de Mariæ præsentia sacratissima noui testamenti arca, & Ioseph, eiúsque domo credendum erit? Magnum itaque Iosepho sanctitatis ex Mariæ præsentia, & cohabitatione, accessisse ne dubites incrementum.

De ætate quoque illius aliter sentiendum est, atque nonnulli arbitrantur, qui octogenarium eum fuisse cum sibi Mariam desponsaret, ob id existimo crediderunt, quod vetulum eum, vt plurimum depingere pictores soleant, non recordantes illius omnium ore iactatę sententiæ. Pictoribus atque poetis multa licent. Pictoribus atque poetis, inquit

Horat. de arte Poetica.

inquit Poeta, quodlibet audendi semper fuit æqua potestas. Sanè vetulum eum nō fuisse, ratione,authoritateque probabo. Ratio sumetur ex suprà positis principiis,inter quę hoc vnum numeratur,finem inferre necessariò in sapiente apta ad eum assequendum media,& contrariorum quorumcumque remotionem. Inter cæteros fines ob quos designabatur Mariæ sponsus Ioseph, hi duo præcipui erant. Mariæ seruire,laborúmque eius socium participémque esse:atque illius famam & honorem apud perfidos incredulósque conseruare Iudæos. Propter vnumquemque horum finium, iuuenem eum fuisse oportebat. Senex enim oneri potius Mariæ fuisset, quàm vllo iuuamini, & Mariam illi seruire citius conuenisset,quàm ipsum Mariæ. Famam autem Mariæ suspectā reddidisset, vetulus atq; frigidus senex. Onus ergo & molestiam in eo habuisset,non molestiarum leuamen,ex adulterio nanque non ex vito illam concepisse dixisset credulus,inuidúsque detractor. Præterea diabolum sic nō latuisset filij Dei conceptio, aut natiuitas. Quare prophetiæ credendum est, quæ de hoc matrimonio apud Esaiā 62.c.habetur,quę dicit,Habitabit iuuenis cum virgine. Vbi de Lyra sic interpretatur, castè & sanctè sicut Ioseph cum Maria.

Nouum aliquid prędicere volebat propheta, in aduentu eueoturum Mesfiæ. Neq; enim nouū fuisset, adolescentulam non virginem viro iuueoi nuptam, cum eo habitare. Hoc omni tempore, & ioter ipsas quoque gentes visum semper fuit, sed quod virgo iuuencula cum viro iuuene habitare tuto posset,Mesfiæ taotùm tempore futurum seruabatur, & prædicebatur. Hinc ergo infero, & virginem Ioseph fuisse,& iuueoē.In frigido vetulo,aut decrepito sene, admiratio nem non parit castitas, in iuuene autem viro cum puella virgine habitante, miraculosa est continentia, vtaque Angelica potius quàm humana fuerit, continentem hic esse. Quis adolescentulam,senem sponsum eligentem non irrideat, suspectāmque de mala aliqua habeat intentione?Senem autem adolescentulam vxorem querentem,quis non oaso suspēdit adunco? Nihil enim,inquit,Eurip. voluptatis habet,& res est inimica mulieri vir senex. In diuino autē hoc matrimonio nihil esse debuit,quod hominum iustæ reprehensioni pateret,aut ca lumniæ. Cur igitur, dices forsan, io Ecclesiis decrepitus, & octogenarius describitur Ioseph? Præter eam, quam superius adduximus ex pictorū licentia, quam sufficere non arbitror, rationem, ne fioe causa quicquam in

in Ecclesiis fieri arbitretur quispiã, dicimus hoc factum, propter seniles demonstrandos in Ioseph mores,& mentis maturitatem, & castitatem. Aetas enim senectutis,inquit Sapient. 4. vita immaculata. Et hanc rationem in sua Dominus Gerson adducit Iosephina, dum sic canit,

Ergo Ioseph reputasse senem , fecère seniles
In se virtutes: vel ne carnalis haberet
Suspitio de te,quicquam carnale Maria:
Donec virginitas tua,fixa fidelibus esset
Cordibus, inde minor est mentio de Ioseph acta.
Non subito totam se monstrat gratia mundo,
Nunc secus esse decet: dum toto creditur orbe
Copula virginea,vobis sine labe fuisse
Munda,decens,cauta,cœlestis par,& honesta.

Hæc Gerson. Altera est ratio cur sic senem pingi permiserit, vel voluerit Ecclesia ab initio. Quia scilicet de perpetua Mariæ virginitate fides nondum in aliquorum cordibus satis altas fecerat radices,qui videntes iuuenem Mariæ depingi sponsum, carnale aliquid ex fidei infirmitate, de Mariæ coniugio suspicãdi,occasionem accepissent. Immo inuenti sunt aliqui integritatis eius inimici,& aduersarij, qui eam ex Ioseph alios post Christum suscepisse liberos dicere ausi sunt. Vt ergo infirmis carnale quid de hoc matrimonio cogitandi tolleretur occasio, volu it

voluit Ecclesia simili depingeretur Ioseph effigie, quæ visa statim in cor induceret cõuẽtus ita se Iosephum cum Maria habitantem gessisse, ac si vetulus quispiam frigidus, aut decrepitus senex esset, ac si virginis pater, non sponsus esset. Hoc est, quod pictura ista senili, Ecclesia docere simpliciores quosque voluit. Quare neque corrigendum, aut mutandum esse morem hunc pingendi eum senem existimauerim. Immo aliter illum infirmorum subiicere oculis periculosum esset. Et simili ex causa desponsationis Mariæ festum, celebrari Ecclesia noluit, sciens quomodo sint faciles, & parati homines in nuptiarum mentione ad carnalia cogitandum, & suspicandum. Nihil enim nisi sanctum, pium, ratum, singulare, mundum, castum vel cogitare filios vellet, de tam sancto diuinóq; matrimonio, in quo cũ virginitatis honore & integritate, supet benedictę prolis bonum, natura mirante virgines habuere coniuges. Hæc de Ioseph dicta siut ætate, quę neque nimium iuuenem, neque prouectæ nimium ætatis fuisse, dicendum esse arbitror, virum scilicet annis maturum, moribúsque grauem, qui adolescentiam & iuuentutem suam, cum magna omnium admiratione, virgo transegerat castissimus, & magnum

gnum virtutis suæ experimentum iam dederat,& argumentum. Existimo enim in hoc matrimonio matris Dei, concurrisse omnia quæ ad honestum, consolabileque requiruntur matrimonium, in quo mentium magis consensus,atque copula requiritur quàm carnis. Certè sanctæ & castæ puellæ, prolis tantum habendæ intentione,non explendæ autē libidinis gratia,nubere solent,& debent. Quare dicebat quondam Deo sanctus Thobias cum Saram filiam Raguelis duxisset vxorem,Et nunc Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in secula seculorum. Vnde sancti coniuges si prolem absque carnali habere possent copula, nunquam coniungi carnaliter vellent.Et certè remissio legis naturæ, & indulgentia Dei est quod in remedium incontinentiæ grauidam vxorem viro cognoscere liceat, cum secundum cæterorum animantium consuetudinem, post impregnationem abstinere ab inuicem mas & fœmina deberent. Et in statu innocentiæ nunquā vir & fœmina, nisi prolis habendæ causa indulsissent Veneri. In hoc itaque diuino matrimonio, habita proles est, absque vlla carnali coniugum copula. Fœlix plane

&

integro animo, semper ob oculos habere virũ, iam mulieris copula pollutũ. Hoc perfectissimę virgini nauseã, hauddubie generasset. Voluisset ne filius, qui omnia poterat, hac matrem consolatione priuare, vt cũ viro habitare cogeretur dissimilium morum, dissimilis professionis, dissimilis propositi? Similis similem cum sibi querat, virginem virgo elegerit oportet, cum quo tam arcto amicitiæ iungeretur fœdere, vt eius sponsus, maritus coniux, virque esset & vocaretur. Mariã prudentissimam fuisse constat. Qui virginum Deo dedicatarum perfectissimam dedere viuendi formam, qualis fuit data à Diuo patre nostro Francisco, beatæ Claræ, & suis sororibus, nullam nisi virginem earum profiteri vitam, aut cum illis habitare, prohibuêre. Idque plane sapienter, ne scilicet morum dissimilitudo, parum sibi inter se conueniendi, occasionẽ præberet sanctimonialibus, vel viduæ, præteritæ recordatione, & narratione voluptatis, pias virginum mẽtes in sancto suo vacillare proposito quoquo modo facerent. Quoties enim apud se morantem viderent moniales viduam, occasionem præbitam sibi haberent, carnale aliquid cogitandi, ob quod sanctè sancitum est, ne nisi virgines virginibus cohabitent sacris. Simili prudentia, vsam

beatam

beatam Mariam, non dubito, cui molestum fuisset cum viro nō virgine perpetuo solam habitare cum solo. Maxima enim inquit, quidam, existit salus, cum mulier à viro non dissidet. Cōcludimus itaque quod cum Ioseph iustus fuerit, non fuerit autem fornicator, aut adulter, neque viduū aut bigamum prudens elegisset virgo in sponsum, quod perpetuo virgo fuerit, & similis cum sponsa Maria propositi, & voti. Neque hoc cuiquam mirum videri debet, si cōsideret, ad quę & quāta electus munia fuit. In scriptura, rara Iosephi habetur mentio: post reditum enim ex Aegypto, & inuentionem Christi, dum duodecim esset annorum, in templo, nulla amplius eius habetur in Euāgelio mentio. Dei sanè factum hoc consilio crediderim, ne si frequens de illo haberetur mentio, carnale aliquid mens cogitaret pusillorum. Verum enimuero etiam si scriptura aliquid dixisset, vnde suspicio haberi posset vel persuaderi, eum non fuisse virginem, difficilius multo hoc credidissem, etiam scriptura id formaliter asserente, quam nunc absque expresso Dei verbo, perpetuam illius credo virginitatem. Adeo vehemētes sunt, & vrgentes, quas adduximus ad id probandum rationes, considerationes, & demonstrationes, quæ licet in scriptu

ſcripturis non cõtineantur, ex iis certe, quæ in ſcripturis credenda proponũtur deſumptæ, deductæque ſunt. Stat ergo inconcuſſa apud me & firmiſsima de beati Ioſeph perpetua virginitate fides, quam nullus contrariorum impetus ventorum mouere ſufficit, aut vt vel minimum vacillet titubétve, facere. Nam quæcunque in contrarium adducuntur euerſuri facile ſumus, vel vt pro noſtra faciant cauſa inuerſuri. Quod nunc præſtare conabimur.

Contrariorum confutatio.

QVæ aduerſum ea afferũtur, quę preſenti diſputatione de beati Ioſeph perpetua aſſerumus virginitate, tria præcipuè ſunt. Primò adducunt illa Euangeliſtæ Matthęi verba, Cum deſponſata eſſet Maria mater eius Ioſeph, antequàm conuenirent inuenta eſt habens in vtero de Spiritu ſancto. Ioſeph autem vir eius cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens, Ioſeph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuã. Quod enim in ea natũ eſt, de Spiritu ſancto eſt, &c. Hinc aliqui dicere voluerunt, Ioſeph cum intentione co-

gnoſcendi virginem, eam ſibi deſponſaſſe, & præterea ſuſpectam illam de adulterio habuiſſe, neque quicquam de virginitatis illius ſciuiſſe voto, donec edoctus ab Angelo in ſomnis fuit, ex Spiritu ſancto illam concepiſſe. Sed antequam horum eludamus errores, aliquorum verborum enucleanda à nobis ſignificatio venit, vt quo in ſenſu hic accipienda ſint melius intelligatur. Et primo de verbo, conuenire, certo ſtatuendum eſt, quod hoc in loco accipitur ad innuendum copulam carnalem, non autem ſolam conuentionem ad ſimul habitandum in eadem domo. Aliqui enim arbitrantur, quod nondum accepiſſet Ioſeph Mariam in domum ſuam, ſed quòd mera tantum inter eos interceſſiſſet ſponſalia, nō veræ nuptiæ, aut matrimonium per verba de præſenti. Ego autē argumentum à cauſa ſumendo finali, dico antequā ab Angelo ſalutaretur Maria, nuptiarum præceſſiſſe ſolennitatem, eóſque vt cõiuges decet, ſimul habitaſſe. Nam aliàs infamia fuiſſet Virginis, grauidam eſſe ante nuptias & cohabitationem cum viro, vt in ſuperioribus docuimus. Rectè Chryſoſtomus ſuper Mattheū, Ideo autem inquit, & deſpōſata, & domi habita. Nam quemadmodum in ea quæ in domo viri concipit, intelligitur
conce

conceptio naturalis, ita in ea,quæ extra domum concepit,est suspecta coniunctio. Hic ille. Erat autem designatus Ioseph sponsus,& maritus Mariæ, ad illius inter cætera saluandum honorem, ne scilicet vlla stupri macularetur suspicione. Vnde Bernardus, Dic quæso,quis videns eam desponsatam,& grauidam,non potius diceret corruptam, quàm virginem? Non autem decebat hoc dici de matre Domini. Tolerabilius atque honestius fuit putari ad tempus Christum de coniugio fuisse natum,quàm de fornicatione.Sed nónne poterat, inquies,Deus, apertum aliquod ostendere signum,quo videlicet fieret,vt eius nec ortus infamaretur, nec mater criminaretur?Poterat vtique;sed non poterat latère dęmones, quod sciret homines. Oportebat autem à principe mundi aliquandiu celari diuini consilij sacramentum, non quod Deus si palam opus suum facere vellet, impediri posse ab illo metueret:Sed quia ipse,qui non solum potenter,sed etiam sapienter quæcunque voluit fecit,sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporũ congruentias, propter ordinis pulchritudinem seruare consueuit:ita in hoc quoque magnifico opere suo,nostræ videlicet reparationis, non tantum potentiam,sed & prudentiam osten-

dere voluit. Et quanquã illud aliter quomodo vellet perficere potuisset, placuit et tamen eo potius, & modo, & ordine hominem sibi reconciliare, quo nouerat cecidisse, vt sicut diabolus prius seduxit fœminam, & postmodum virum per fœminã vicit, ita prius à fœmina virgine seduceretur, & post à viro Christo aperte debellaretur, quatenus malitiæ fraudi, dum ars pietatis illuderet, ac maligni fortitudinem Christi virtus contereret, diabolo Deus & prudentior appareret, & fortior. Ita quippe decuit incarnatam scientiam vincere malitiam, quo nõ solum attingeret à fine vsque ad finem fortiter, sed & disponeret omnia suauiter. Attingit autem à fine vsque ad finem, id est à cœlo vsque ad infernũ, Si ascendero, inquit, in cœlum tu illic es, si descendero ad infernum, ades. Vtrobique vero fortiter quando, & de supernis expulit superbum, & apud inferos spoliauit auarũ. Conueniẽs ergo erat, vt suauiter omnia disponeret, quatenus & illinc deiiciens inquietum, reliquos pace firmaret, & hic debellatũ inuidum nobis prius suæ humilitatis, & mansuetudinis valde necessarium exemplum relinqueret, sicque miraculum fieret, moderamine sapiẽtiæ, vt & suis suauis, & hostibus fortis appareret. Quid enim prodesset diabolũ à Deo

vinci nobis manentibus superbis? Necessariò igitur desponsata est Maria Ioseph, quando per hoc, & à canibus sanctum absconditur, & à sponso virginitas comprobatur, & virginis tam verecundiæ parcitur, quàm famæ prouidetur. Quid sapientius quid dignius diuina prouidentia? Vno tali consilio secretis cœlestibus, & admittitur testis, & excluditur hostis, & integra seruatur fama virginis matris. Idem quoque docet Ambrosius. Desponsata inquit, est, ne temeratæ virginitatis adureretur infamia, cuius grauis aluus corruptelæ videretur insigne præferre. Maluit autem Dominus aliquos de suo ortu, quàm de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram esse virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris, nec putauit ortus sui fidem matris iniuriis astruendam. Seruatur itaque Mariæ sicut pudore integra, ita inuiolabili opinione virginitas. Ex his constat eum finalis causa desponsationis Mariæ esset, eius verecundiæ consulere, atque honori, nec non & vitæ, oportere eius præcessisset grauidationẽ veræ nuptiæ, & reliquæ solennitates, sine quibus grauidam sponsam videri, fornicationis generaret suspicionem, & sine quibus in vitæ incidisset discrimen. Secundũ leges enim diuinas virgo adultera si

de stirpe esset sacerdotali, cóburebatur viua:
Leuit. 21. de reliquis tribubus lapidabatur,non solum illa,quæ iam desponsata erat, sed etiam illa, quæ in domo patris quãdoque nuptura custodiebatur vt virgo. Vnde Deut.22.dicitur, Si non est in puella inuenta virginitas, lapidibus obruẽt eam viri ciuitatis.Quare,quod simul conuenerant in eadem domo,acsi verè coniuges essent, omnino dicendum est. Ideo cum ex quotidiano sponsæ visu , illam deprehendisset vterum gestare, cæpit (quod postea declarabimus) timere accipere eam in coniugem.Hoc declarato,quo scilicet, in sensu verbum, Conuenirent, accipiendum hic sit, restat verbum Traducere , exponamus,quod hic quoque legitur , nec ab omnibus quid hic proprie significat intelligitur. Notãdum ergo est verbũ traduco,varias habere significationes. Significat enim per locum aliquem duco,vel de loco in locum duco,dictum à trans & duco. Inde Cæsar frequenter dicit traducere copias. Interdum idem quod traiicio.Aliquando transferre,& interpretari,& ex vna lingua in aliã cõuertere. Dicimus quoq; traducere vitã,& tempus pro eo quod est consumere, terere,transige-
Cicero de Senect. re.Vt vitam otiosam , & quietam inquit Cicero, sine labore,& contẽtione traducamus.

Aliquando

Aliquando etiam significat sinistram de aliquo famam spargere, ludibrio exponere, ac deridendum omnibus per vicos, theatra, & plateas ducere. Martialis, Multóque magis traduceris Apher. Liuius li. 2. abvrbe de Volscis publico consilio ac præconis voce à spectaculis exactis. Vos inquit, omnibus ciuibus peregrinis, populis spectaculo abeuntes fuisse, vestras coniuges, vestros liberos, traductos per ora hominum. Aliquando etiam significat traduces facere, vt apud Iurisconsultum Paulum in l. si duobus. ff. vti, posid. Si vicinus, inquit, vites ex fundo tuom suas arbores traduxit. Traduces autem, qui & rumpi dicuntur, brachia hic significant vitium, quibus ex arboribus in arbores traducuntur. Columella, Si tradux traducem non contingit, media virga inter eas deligetur. Hæc diligentius annotata sint, vt intelligamus metaphoræ rationem ob quam verbum traducere diffamare quoque significet. Id elegāter docet Tertul. dum ait: Famam quoque in aurium & linguarum traduces serpere, eo videlicet quod aurium & linguarum instrumentis propagetur, & breui temporis spatio infinitum propemodum capiat incrementum. In hoc autem loco Euangelij idem significat Traducere, quod Catami- *Tertull. in Apol.*

diare, & publice deridendum aliquem exponere. Augustinus in epistola contra Macedonium diuulgare interpretatur. Spartianus de constitutionibus Adriani loquens, Decoctores inquit, bonorum suorum, si suę authoritatis essent, catamidiari in amphitheatro, & dimitti iussit. id est, deridendos omnibus per theatrum præberi, à Græco, κατα-μωκᾶν quod deridere, & ludibrio habere significat, de quo Budęus. Vnde inquit, id propemodum ludibrij genus esse suspicor, quo polygami afficiuntur, id est, qui multis vxoribus abutuntur, cum mitellati in scalario suggestu, lasciuientis plebeculæ scurrilitates obaudire, perfricta fronte ad aliquot horas coguntur. Mitrare id appellant, cui nō dissimile est illud, quod traducere latinè dicitur. Hæc ille. Notandum autem est, pro pleniori huius textus intelligentia quod Gręcè vbi nos habemus, nollet eam traducere, dicitur, μὴ θέλων αὐτὴν παραδειγματίσαι. Est autem παραδειγματίσαι Græcis in exemplum vertere, palam traducere. παραδειγματισμὸς, exemplum, traductio, ignominiosa pœna illis dicitur, & παράδειγμα exemplum. Aduertendum quoque est, quod inter octo pœnarum genera à Cicerone numerata, ignominia quinto commemoratur loco. Octo, inquit

quit, sunt genera pœnarum. Damnum, vincula, verbera, talio, ignominia, exilium, seruitus, mors. Taurus philosophus pœnas per causas distinguens finales, earum tria genera fecit. Primum est, quod græcè dicitur νὐθεσία vel κόλασις, cùm pœna adhibetur castigandi, atque emendandi gratia. Alterum quod τιμωρίαν appellant, cum dignitas, authoritásq; eius, in quem est peccatum, tuenda est, ne prætermissa animaduersio, contemptum eius pariat, & honorem leuet. Ideo illi vocabulũ à cõseruatione honoris, quẽ Græci τιμὴν vocant, factum existimant. Tertium παράδειγμα à Græcis nominatur, cum punitio propter exemplum necessario adhibetur, vt cæteri à similibus peccatis metu cognitæ pœnæ deterreantur. Idcircò, veteres quoque exempla pro maximis, grauissimisque pœnis vsurparunt. Vnde Terentius in Eun. Quæ futura esse debent exempla in eum indigna. Idem, vterque in te exempla ederit. Vbi donatus, noua ac mira tormenta, quæ pro exemplis narrantur, aut quæ documenta sint cęteris ne delinquant, exempla dicuntur. Cicero ad Quintum fratrem li.1. Simile in superiore parte prouintiæ edere exemplum seueritatis tuæ voluisti. Cæsar lib.1. de bello Gallico, Obsides nobilissimi cuiusque liberos posce-

re, & in eos omnia exempla cruciatus edere, si qua res non ad nutum, aut voluntatem facta sit. Relinquitur ex his quod Græcis παράδειγμα & Latinis exemplú etiam pœnã significat. Sed παράδειγμα propriè significat ignominiosam pœnam, & παραδειγματίζειν, per pœnam ignominiosam aliquem in exemplum aliis proponere, quod à simili eos deterreat scelere. Et hoc est quod Traducere significat in hoc loco apud Euangelistam. Moses Num. 5. vbi de mulieris secreti adulterij reæ pœna disseruisset, ait, Erítque mulier in maledictionem, & in exemplú omni populo. Maritus, qui talem sacerdoti deferebat, vt in exemplú eam poneret omni populo, traducere vxorem eleganter dicebatur. Cum igitur dicitur de Ioseph quod nollet Mariam traducere, idem est, ac si dixisset, nolebat eam Catamidiare, seu ludibrij, & ignominiæ exemplum facere. Hæc fusius dicta sint ad eorum explodẽdam expositionem, qui per nolle traducere eam, hoc in loco positum, Mariam ex domo paterna, in suam domum Ioseph ducere noluisse, interpretantur, cum certum sit, cam quam volebat occulte dimittere, iam apud se habuisse domi, vti necessario dicendũ esse in sequentibus ostendemus. Quod opprobrij, ignominiæ

miniæ, infamiæque genus, mulierem occulti adulterij ream apud Hebræos maneret, habetur Numer. 5. vbi de modo eam traducendi apud sacerdotem, & occultum depreheńdendi adulterium, admirabilis describitur ratio, atque terribilis. Vir, inquit Moses, cuius vxor errauerit, maritúmque contemnens dormierit cum adultero viro, & hoc maritus deprehendere non quiuerit, sed latet adulterium, & testibus argui non potest, quia non inuenta est in stupro, si spiritus Zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem suam, vel falsa suspitione appetitur, adducet eam ad sacerdotem, & offeret oblationem pro illa decimam partem sati farinæ hordeaceæ, non fundet super eam oleũ, nec imponet thus, quia sacrificium Zelotypiæ est, & oblatio inuestigans adulterium. Offeret igitur eam sacerdos, & statuet coram Domino, assumétque aquam sanctam in vase fictili, & pauxillũ terræ, de pauimento tabernaculi mittet in eam. Cum steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet caput eius & ponet super manus illius sacrificium recordationis, & oblationem Zelotypiæ, ipse autem tenebit aquas amarissimas in quibus cum execratione maledicta congessit, adiurabitque eam, & dicet, Si non dormiuit vir alienus tecum, & si non pollu

polluta es deserto mariti thoro, non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessi. Sin autem declinasti à viro tuo, atque polluta es, & concubuisti cum altero viro, his maledictionibus subiacebis. Det te Dominus in maledictionẽ, exẽplúmque cunctorum in populo suo, putrescere faciat femur tuum, & tumẽs vterus tuus disrumpatur, ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & vtero intumescente putrescat femur. & respondebit mulier Amen. Amen. Scribétque sacerdos in libro ista maledicta, & delebit ea aquis amarissimis, in quas maledicta congessit, & dabit ei bibere. Quas cum exhauserit, tollet sacerdos de manu eius sacrificiũ Zelotypiæ, & eleuabit illud coram Domino, imponétque illud super altare: ita duntaxat vt prius, pugillum sacrificij tollat, quod offertur, & incendat super altare, & sic potum det mulieri aquas amarissimas. Quas cum biberit, si polluta est & contempto viro, adulterij rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computrescet femur, eritque mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo. Quod si polluta non fuerit, erit innoxia, & faciet liberos. Et in fine capitis, legem Zelotypiæ ferens quid suspectæ adulterij vxoris facere maritus, vt culpa

culpa vacaret, teneretur, his docet verbis, Ista est lex Zelotypiæ. Si declinauerit à viro suo, & si polluta fuerit, maritúsque Zelotypiæ spiritu concitatus adduxerit eam in conspectu Domini, & fecerit ei sacerdos iuxta omnia, quæ scripta sunt, maritus absquè culpa erit, & illa recipiet iniquitatem suam. Leuitici autem 20. cap. & Deuter. 22. inter capitalia crimina connumeratur adulterium. Iudæi lapidibus adulterum occidebãt, & adulteram. Quod lex Numer. 5. dicit maritum vacare à culpa, qui adulteram traduxerit vxorem, innuit non vacaturum eum culpa, si eam non traduxisset. Quod certe verum est, quando certo de adulterio marito constabat, licet deessent testes. Tunc enim ne alienæ particeps culpæ foret, suam traducere tenebatur vxorem. Nam hic locum habet illud Chrysostomi Homil. 33. in Matth. Vxoris crimen celans, turpitudinis est patronus. Festo, contempto admodum nomine, Aqualiculi dicuntur, propriarum vxorum stupra patienti æquóque animo ferentes. Est enim Aqualiculus proprie vas, in quo porci sorbent. Nihil apud omnes gentes ignominosius, quàm maritum adulteriũ dissimulasse vxoris. Hoc vilis abiectissimíque animi indicium, atque argumentum est. Diuina itaque lege adulte-

Leui. 20. Deu. 22.

Vbi erãt testes, aliter cõtra adulterã procedebatur.

rij vir conſcius vxoris, eam traducere tenebatur. Ex his inquiramus quis ſit horum verborum ſenſus. Ioſeph autem cum eſſet iuſtus & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Quid autem ſit, hic eſſe iuſtum, ex Diuo Luca petere licet, qui cum dixiſſet Zachariam & Elizabeth vxorem eius iuſtos fuiſſe, in quo conſiſteret eorum iuſtitia, vel de qua loquutus eſſet iuſtitia, declarat his verbis, Erant autem inquit, ambo iuſti coram Deo, incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini, ſine querela. Iuſtum ergo coram Deo vocat eum, qui omnia Dei mandata ſeruat. Omnia dicit. Nam vt Diuus Iacobus ait, Qui offenderit in vno, factus eſt omnia reus. Cum ergo Euangeliſta iuſtum vocat Ioſephum, idem eſt ac ſi dixiſſet, quòd omnia Dei ſeruaſſet mandata, atque iuſtificationes. Seruauit ergo & legem Zelotypiæ à Deo latam. Si adulteram credebat Mariam, profectò traducere tenebatur illam, & ſi non traduxiſſet, non fuiſſet iuſtus, ſed vt verbis vtar Chryſoſtomi, turpitudinis illius patronus. Crimen enim celaſſet vxoris. Quid ergo vult Euangeliſta dicere, cum ideo Ioſephum ait noluiſſe traducere Mariam, quia iuſtus erat? In quo conſiſtebat hæc illius in non traducendo, abſque eo, quod ab ipſo
cognita

cognita esset, grauidã vxorem, iustitia? Certo certius illi constabat, grauidam eam esse, tumens iam vterus, id diutius celari non permittebat. Certo quoque certius illi constabat, oon ex ipso grauidam eam esse. Vode necessario consequitur, quod si Mariam innocentem noo credidisset, si illam nũquam virum cognouisse probe non oosset, adulterij team prorsus iudicare debebat: aliàs mente iudicióq; caruisset omnino. Status enim hic iudicialis est, non coniecturalis, non suspitionibus, sed certa diffinitiooe sciebat eã stupri ream esse: si ita de Maria iudicandum esse censuisset, atque de reliquis mulieribus. Si simile de ea iudicium atque de cæteris faciendum esse existimasset, adulteram sane credere tenebatur, neque ob hoc peccasset, aut iniustus fuisset. Credendo autem adulteram eam esse; traducere quoque debuerat, vt non esset iniustus, non esset legis transgressor, non esset turpitudinis patronus, aut mulieris aquariolus impudicæ. Iustus autem erat, & ob hoc quòd iustus, noluit illam traducere: non credidit ergo adulteram, & tamen videbat aluum tumentem, sciebatq; grauidam, & nõ à se impregnatã. Quid hinc ergo sequitur, nisi manifestum innocentiæ Mariæ testimonium? Nam in quo iustus erit, si Dei legem

legem circa coniugem nõ ex se grauidatam, non seruasse reperitur, dum traducere illam non audet, nisi eum illam, quæ est de non traducendo innocentem, aut stando contra sanguinem eius seruasse dicatur? Innocẽtem ergo credidit. Nam si nocentem credidisset, non fuisset iustus, sed prorsus iniustus, non traducendo illam. Iustus autẽ erat teste Euangelista. Innocẽs igitur vel Ioseph teste Maria. Et hanc rationem habet D. Hieronymus in primum cap. Matth. Si quis, inquit, fornicariæ coniungitur, vnum cum ea efficitur corpus, & in lege præceptum est, non solum reos, sed & conscios criminum, obnoxios esse peccati. Quomodo Ioseph, cum crimen celauerit vxoris, iustus scribitur? Sed hoc testimonium Mariæ est, quod Ioseph sciens illius castitatem, & admirans, quod euenerat, celat silentio mysterium, quod nescit. Hæc Hieronymus. Cur itaq; voluit occulte dimittere eam? Cur eam in coniugem accipere timuit? Quid hic timet Ioseph? Si traducere eam timet ne peccet, audacter dicã illi, Traducas Ioseph, si adulteram eam credis, quia non peccabis. Lex enim ait, quòd similiter in casu, maritus culpa carebit, adultera autem suam portabit iniquitatem. Magis autem timendum tibi erat, ne non traduceres, si peccatricem

catricem credebas,quia peccasses. Quis erat timor ille beati Ioseph,& qualis?Non est dubium quin fuerit timor Dei, timor pius & sanctus, qualis erat in sancto Simeone propheta,de quo ait Euangelista, quòd erat vir iustus & timoratus, timens scilicet offendere Deum. Timens culpam, etiam vbi nulla est culpa. Timor enim Domini expellit peccatum. Per timorem Dei ait Sapiens, declinat omnis à malo Vir erat, inquit scriptura, in terra Hus nomine Iob, & erat vir simplex ac timēs Deum,& recedens à malo. Tali & tam sancto timore erat iustus, & timoratus Ioseph,erat bonæ conscientiæ, noluisset quicquam facere contra conscientiam. Timebat traducere Mariā,ne faceret contra conscientiam. Nam qui facit contra conscientiā ædificat ad gehennā. Noluit traducere eam,quia vir iustus erat,& timoratus,& recedens à malo. Amplissimum sanè virginitatis Mariæ testimonium,quòd vir iustus & timens Deum, noluerit illam traducere, Sed quare timebat eam in cōiugem accipere? Qui dimittere illam volebat occultè, vtque in cōiugem iam eam acceperat. Quod insinuat Euangelista, cum ait, Ioseph vir eius cum esset iustus.Iam vocat eum virum,non sponsum.Id indicant & angeli verba, dum coniugem suam vocat

Prou.15.

Iob 1.

m

Mariam. Accipere ergo hic dictum est, pro eo quod est, retinere eam coniugem, vt contrarium ei, quod est dimittere vxorē. Ioseph volebat dimittere acceptam cōiugem, & per solemnes sibi traditam nuptias. Angelus iubet, nolit eam dimittere, iubet perseueret in tam sancto connubio, iubet eam iam cogitatione dimissam & proposito recipiat, & sibi, iuxta condicta & pacta, cōiugem retineat. Sic interpretatur D. Chrysostomus in homil. Dicit, inquit, noli timere accipere, id est, intus retinere. Iam enim mente dimissa erat. Hæc dixerim, quia nonnulli ex his angeli verbis, quibus iubet accipiat coniugem suam, arbitrati sunt nondum Mariā domi à Ioseph habitam, atque in cōiugem acceptam fuisse: sed extra Ioseph domum, nondum celebratis nuptiis, grauidam inuentam eam fuisse, cum tantùm intercessissent spōsalia. Error hic est manifestus, vt patet ex præcedentibus. Nemo enim, inquit D. Ambros. quam nō accepit dimittit. Et ideo quam volebat dimittere, fatebatur acceptā. Chrysost. in homil. Quod autem sequitur. Antequàm cōuenirent, non dicitur, antequàm duceretur in domū sponsi. Etenim iam intus erat. Sed restat inquiramus, cur timebat accipere Mariam in coniugem, postquàm deprehenderat pregnantem, & scie-

sciebat innocentem, sciebatque absque eo, quod ab vllo cognita viro esset, id illi euenisse. Magnam enim sanctitatis Mariæ certitudinem Ioseph habuisse constat, quando plus illius credidit virtuti, quàm vtero, castitati, quàm ingrauidationi. Vel hoc, inquit Hieronymus, testimonium Mariæ est, quod Ioseph sciens illius castitatē, & admirans quod euenerat, celat silentio, cuius mysterium nesciit. Et Remigius, Videbat enim grauidam, quam nouerat castā, & quia legerat. Egredietur virga de radice Iesse, vnde nouit Mariā duxisse originem: & quia etiam legerat, Ecce virgo concipiet, non diffidebat hanc prophetiā in ea esse implendam. O inæstimabilis, inquit Chrysosto. super Matth. laus Mariæ! Magis credebat castitati eius, quàm vtero eius, & plus gratiæ, quàm naturæ. Conceptionē manifestè videbat, & fornicationem suspicari nō poterat. possibilius esse credebat mulierē sine viro posse concipere, quàm Mariam posse peccare. & paucis interiectis, Frequenter enim, inquit, viri etiā si leuiter viderint mulieres suas aspicientes in alterum, mox excitantur in zelum, & quod non est, illud suspicantur, quia ex magno amore nascitur zelus. Hic autem & maritalem zelum, & vteri clamantis accusationem, sola præteritę con-

uersationis documēta vincebant. Hæc Chrysostomus. De hac dici posset illud Ethnici,
Ouidius. Facies ætásq; iubebant credere adulterium, prohibebant mores. Video antiquos istos patres in laudem conuertere Mariæ, istam Iosephi iustitiam, certè, rarum quid & nouū, atque inauditum fuit hoc Ioseph factum & exemplum, cum sponsæ tumentem vterum, & indubitata conceptus signa videret, nec expostularet cum vxore, nec quereretur apud affines, nec zelotypia discerperetur, nec in ius iret, & pœnam sumeret, nec eam traduceret, tantùm in animo secum de secreto diuortio cogitaret. Nec solum grauidam noluit damnare, sed nec publicare quidem, non conquestus est apud alios, aut in vulgi extulit sermonem. Quid enim impotentius zelotypia? Quod autem nihil horum fecerit, magna Mariæ laus est, Tales namque esse Mariæ mores compererat, vt nulla in eos caderet adulterij suspicio. Celabat ergo, quod admirabatur, silentio premebat, cuius causam non assequebatur. Iustus in eo existens, quòd eam quam adulterij ream credere non poterat, traducere non audebat, ne vir iustus & timoratus, quicquam contra conscientiam ageret. Alioqui, inquit Diuus Bernardus, quando pepercisset iustus adulteræ.
Scriptum

Scriptum est autem, Ioseph autem vir eius cùm esset iustus,& nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Bene inquit, cum esset iustus noluit eam traducere. Quia sicut nequaquam iustus esset, si cognitam ream cōsensisset, sic nihilominus iustus non esset, si probatam innoxiam condemnasset. Cum ergo iustus esset,& nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc mellifluus doctor Bernardus. Quia autem vera verborum angeli intelligentia, quibus Iosephum insinuat timore actum, Mariam accipere in cōiugem noluisse, ex solida & genuina horū verborum Euangelistæ, Ioseph autem cum esset iustus & nollet eam traducere, interpretatione dependet, libet antequam de timore illo qualis fuerit disseramus, rationem ex istis verbis subtilius inuestigare, qua contradictores quosuis ad eam, quā ex allegatis superius adduximus doctoribus admittendam expositionem cogamus. Hic mihi venia detur si pro matris Domini mei,& patris eius putatiui asserendo honore, quorumcūque aliorum aliter sentientium doctorū, reiecero sententiam. Clarum est Euāgelistam per hæc verba: Ioseph cum iustus esset,& nollet eā traducere, insinuare voluisse, Ioseph iniustū fuisse futurū si Mariam traduxisset. Reddit ergo hic

causam cur eam non traduxerit. Et hoc ait illum non fecisse, quia iustus erat. Manifestè indicans iniustum futurū si traduxisset. Vult ergo Euangelista innuere per hunc suum loquendi modum, Ioseph aliquid nosse de Maria, & tam certam habuisse de eius innocentia notitiam, quòd si illam traduxisset, iniustus fuisset. Si Ioseph non credidisset absque vllo suo peccato & ratione aliqua omnem naturæ superantem sensum, grauidam factam Mariam, profectò violatæ virginitatis ream eam fuisse, credendum illi erat, quandoquidem certò illi constaret, quòd nunquam illam cognouerat. Oportebat ergo crederet vnum de duobus, cum grauidam eam vidit, videlicet, quòd conceperat, vel ex adulterio, vel diuinitus. Non est dabile medium. Si non credidit diuinitus grauidam factam, credendum illi necessariò erat, quòd ex adulterio conceperat. Credēdo autem illā ex adulterio concepisse, non fuisset iniustus illam traducendo, sed potius iustus legem obseruando, quæ, vt ait Hieronymus, non solùm reos, sed etiam criminis conscios damnat. Quod autem non fuisset iniustus illam traducendo, ex Moysis verbis manifestè constat, quæ suprà ex 5. Num. allegauimus capite, de lege zelotypiæ, in quibus expressè dicitur, virū vxorem adulterij occulti ream traducentē, & de-

ferentem ſacerdoti,à culpa vacare. Si à culpa vacaſſet, non fuiſſet iniuſtus. Innuit autem Euangeliſta Ioſeph ſi Mariam traduxiſſet, iniuſtum futurum fuiſſe, ergo aliquid ſciebat eſſe in Maria,ob quod tenebatur non tradu eere illam.Si non permiſeris, vt dicam illum diuinitus grauidam factam fuiſſe, certò ſciuiſſe,ſaltem hoc vnum neceſſariò mihi permittere cogeris, ipſum ad minus credidiſſe caruiſſe illam culpa, neque vllius peccati reã fuiſſe,vndeeunque tandem grauida facta eſſet. Credidit ſiquidem poſsibile eſſe virginẽ ſine viro concipere. Firmiſsimã ergo de virginitate Mariæ habebat perſuaſionem. Quo autem ſolidior hæc noſtra videatur ratiocinatio, Dialecticæ illi admoueamus regulas. Eſt enim Dialectica certa veritatis propoſitionũ indagatrix, & iudex. Cum Euangeliſta ait, Ioſeph autem cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, propoſitionẽ facit cauſalem. Nam huius propoſitionis, Noluit eam traducere, ætiologia eſt illa, Cum eſſet iuſtus. Cauſam enim reddit cur eam traducere noluerit. Propoſitio autem cauſalis plures inferat oportet propoſitiones, eáſque vniuerſales,tum affirmatiuas, tum negatiuas, ad hoc vera vt ſit. Exempli gratia. Iſta eſt propoſitio cauſalis:Ideo homo eſt riſibilis, quia eſt ani-

mal rationale. Ad huius veritatem sequentes omnes veras esse oportet propositiones. Ergo omne animal rationale est risibile. ergo omne risibile est animal rationale. ergo nullum animal irrationale est risibile. ergo nullum risibile est animal irrationale. Ita dixerim ad hoc, vt vera sit hæc propositio; ideo noluit Ioseph Mariam traducere, quia iustus erat. Sequentes has omnes veras esse propositiones oportet, videlicet, ergo omnis iustus noluisset eam traducere. Ergo quicunque noluisset eam traducere iustus fuisset. Ergo quicunque traducere eam voluisset, iniustus fuisset. Quæ omnes propositiones veræ sunt in omni iusto, in loco Ioseph existente, & ea sciente, quæ Ioseph sciebat de Maria. Si autem quicunque eam traduxisset, iniustus fuisset, & adulteram cognitam adulteram traducens culpa caret, iniustitiáque in eo non est, vel ipso Mose, immo Deo teste, proculdubio Ioseph, qui iniustus fuisset Mariam traducendo, sciebat adulteram eam non fuisse. Nam adulteram eam esse certo sciebat, aut non adulteram. Hic non datur medium, quandoquidem Ioseph certo certius sciret, eam à se cognitam nunquam fuisse. Suspicio hic locum habere non poterat, viro sciente intactam adhuc à se seruatam
eam

eam esse. Relinquitur igitur eorum doctorum opinionē,cum verbis conuenire Euangelistæ, qui hæc eius verba, in laudem conuertūt Mariæ, & in virginitatis, & sanctitatis eius testimonium,& argumentum. Quare,& aliorum doctorum aliter sentientium, deserenda sunt castra, & sub horum militandum signis, qui Euangelistæ verbis, honorique Dei & matris eius,loquuti conformius sunt. Illorum autem sententias,qui cōtrarium sentire videntur,ex ipsis eorum verbis refellere facile fuerit,licet piè semper Euangelistæ interpretati verba,conati omnes fuerint. Vnus occurrit D. Augustinus qui in sermone de natiuitate Domini,de Mariæ dubitasse castitate beatum Ioseph asserit.Sic enim ait,Intelligens,inquit,Ioseph Mariæ vterum grauidari,turbatur,quòd Mariam, quam de templo Domini acceperat,& nondum cognouerat, grauidam sentiebat, secūmque æstuabat, disputans & dicens. Quid faciam?prodo, aut taceo? Si prodidero,adulterio non cōsentio, sed vitium crudelitatis incurro, quia secundum Moysi sententiam,lapidandam eam esse cognosco.Si tacuero,malo cōsentio, & cum adulteris portionem meam pono. Quoniam ergo tacere malum est, adulterium prodere peius est,dimittam eam à coniugio, &c. Per

m 5

hæc verba D. Augustinus indicat in ea se esse sententia, vt credat beatum Ioseph, de Mariæ dubitasse castitate. At ex eius ratiocinatione sequeretur, quod Ioseph consenserit malo,& cum adulteris portionem suam posuerit, quod de viro iusto credere nephas est. Deinde quod ait adulteram prodere maius malum esse, quàm tacere & non prodere, videtur contrarium verbis Moysis, qui expresse ait, Num.5. virum adulteram traducentem, vacare à culpa. Quod non solum non esse malum illam traducere ostendit, sed etiam, non vacare maritum illum culpa qui eam non proderet. Nos autẽ Iosephum omni in hoc negotio vacasse culpa credimus, quia iustus erat, Euãgelista teste. Tutius ergo est D. hic Hieronymo quàm D. August. credere, quia ille conformius Dei verbis sentire videtur. Simili ratione alijs responsum sit, qui D. Augustini sunt opinionem sequuti. Restant adhuc duo in verbis Euangelistæ consideranda, quæ nostram mirum in modum confirmant sententiam. Videlicet quod ait Iosephum dimittere coniugem suam voluisse,& quod id occultè factũ voluit. Hic mihi consideres oportet, beatum Ioseph, si nihil plus de beata sentiebat Virgine, quàm de qualibet alia simili in casu sentiendũ est mu-

liere, prorsus certo credidisse adulterã, eam esse. Quomodo ergo vir zelotypus, & domus suæ dominus: habitabat enim in domo Ioseph viri sui tunc Maria, à visitatione Elisabeth cognatæ suæ (vt D. videtur Chrysostomo) reuersa, non potius illam è sua eiecerit domo? Quis maritus adulterã saltem è domo non eiicit sua, si neque traducere eam, neque occidere decreuit? Ista dimissio deliberata, nescio quid singularis reuerentiæ in iusto Ioseph, erga suam ostendit cõiugem, éamque suam vt dominam habere, non autem illius esse se dominum, cum ipsam manere domi suæ, se autem recedere præeligebat. Non est credendum de viro iusto & prudenti, & timorato, quòd maiorem peccandi licentiam adulteræ vxori permittere vellet concederéque. Quam maiorem peccandi occasionem atque libertatem habere vel desiderare, impudica posset vxor, quàm maritum nolle illam prodere, & per sui è sua domo absentiam, suæ illam permittere voluntati, & domus suæ liberum illi tradere imperium? Vir iustus si dimittere vult adulteram vxorem, saltem illam prodat, & traducat, nedum sancta putatur & innocens, liberius peccandi occasionẽ habeat. Rursus quod occultè & non manifestè illam deserere voluerit, argumento

est

est Iofeph mirum in modum timuiffe (qui prudens fapienfque erat) ne quouis pacto Mariam offenderet, quam neque facto, neque verbo vllo afpero, exacerbare voluiffe vides. Tantum reuerebatur eius mores, & fanctitatem probè fibi cognitam, quòd eam contriftare nulla ratione aufus eft. Dicebat namque intra fe, Si illi quicquam de meo dixero difceffu, mœrore & dolore côficietur fancta, occulte itaque recedendum eft, ne eam offendam. Neque enim fas eft infipientibus & ftultis viris Iofephum fimilem exiftimes, qui ex animi defperatione, folent propter vxorum adulteria in folas aliquas recipere fe terras, vbi folitudine ipfa, animi confumant mœrorem, vel alio quopiam modo duriùs confulere fibi. Iuftus enim erat, & timens Deum, & feruans omnia eius mandata. Et fic videmus, vt ipfæ fcripturarum bene & diligenter confideratæ circumftantiæ, magnam fecum ad verum fcripturæ comperiendum fenfum afferant lucem, attento dummodo adfit animo beneuolus, docilifque lector. Vides vt ex tribus, quę in his Euāgeliftæ continentur verbis, fententiam fulcierimus noftram, & non noftram, fed antiquorū, quos citauimus patrum. Ex eo videlicet, quòd iuftus dicitur Iofeph, ex eo quòd dimittere eā
volunt

voluit, & ex eo quòd occultè. Sed antequam Angeli ad Iosephū exponamus verba, operæ pretium fuerit resumere, & per repetitionem exponere Euangelistæ integrum textū. Christi inquit, generatio sic erat. Cum esset desponsata Maria Ioseph, antequam conuenirent inuenta est habens in vtero de Spiritu sancto. Ioseph autem cum esset iustus, & nollet eā traducere, voluit occultè dimittere eam. Quid sibi vult istud, Christi generatio sic erat? Exordium est eorum, quæ tùm de Christo dicere proposuerat, Declarauerat enim in præcedentibus quomodo maiorum eius vnusquisque ab Abraham vsque ad Ioseph, natus generatúsque esset, de quibus dicit ab Adam vsque ad Christum, à suo quemque carnali genitum esse patre. De Christo autem, nō sic sentiendū esse indicat, sed multū differéter. Quia Christi generatio sic erat. Id est, Christus generatus est, non vt Isaac genitus ab Abraham, vel ex Isaac Iacob, & sic de alijs, sed eo quo dicturus sum modo. Et quis fuit D. Matthęe modus iste generationis Christi, sic à patrum differēs generatione? Dicam, inquit, Cum esset desponsata Maria Ioseph, antequam conuenirent, id est, absque eo, quod vir & maritus mutuò se cognoscerent, inuenta est habens in vtero.

Aptè

Aptè admodum dicit, Inuenta est: quod de non excogitatis dici consuetũ est. Ne autem molestares Euangelistam, qualiter sit natus ex virgine quærendo, breuiter expediuit se dicens, Inuenta est habens in vtero de Spiritu sancto. Quasi diceret, Spiritus sanctus est, qui hoc miraculum operatur. Neque enim Gabriel, neque Mattheus amplius dicere poterunt. Ideo Ioseph cum vxorem grauidam vidisset, quam virginem esse sciebat, & omni incognitam viro, stupore ob rei percitus nouitatem & miraculi magnitudinem, neque vnde id procederet ratione vlla assequi valẽs, dimittere illam occultè voluit, indignum scilicet se reputans, qui cum ea habitaret, circa quam tam insolitum quid euenisse cerneret. Vel potius, vt iis, quę superius diximus conformiter loquamur, cùm tradita illi esset, vt factum quoddam depositum custodienda, reprehendique à Pontifice timeret, vti violatæ fidei reus, stuprum autem intulisse eum virgini tumens clamaret vterus, neque qua ratione ab imponenda sibi culpa liberare se posse reperiret, occulta sibi fuga consulendum esse expedire magis arbitratus est. Ista enim cohabitatio cũ eo virginis, absque eo, quòd eam cognoscere ausus vnquam fuit, dicere me cogit sub publica illam fide seruandam

dam, à summo concreditam ipsi Pontifice fuisse. Dum igitur grauidam videret, nnqcentémque se sciret,sicut & virginem,neque quo se purgaret pacto apud incredulos Iudæos inueniret, quos sciebat nunquam illi crediturosssi absque vllo viri cõgressu concepisse eam assereret, imminens sibi periculum occulta decreuit euadere fuga, timore actus in constantem cadente viro. Sed hunc deposuit timorem simulatque angelica visione confortatus,& de facti ratione edoctus à Spiritu sancto ingrauidatam cognouit,paratus deinceps pro hac asserenda veritate, quęcunque offerentur subire pericula. Euitaturus autem erat reprehensionis Pontificeæ furorem,allegãdo quæ angelica relatione de virginis facta diuinitus didicerat impregnatione. Cui tunc aliqualis fides danda, ab aliquibus saltem erat qui Messiam,quem tùm ardẽti omnes expectabãt desiderio,& eius imminere sciebãt aduentũ,ex virgine nasciturũ esse vel credebant,vel opinabãtur,qui suspẽsuri ad minus,omne de hoc facto iudicium erant,donec de eo per euentũ,quid tutius sentiendũ esset, statuere postea possent. Quicquid sit de Iudæis, ipse certè Ioseph postquam edoctus ab Angelo fuit, à Spiritu sancto esse id miraculum,securus animo factus

ctus se ipsum consolabatur, & certo concludebat, quandoquidem à Deo hoc erat, nullis hominum conuellendum illud esse molitionibus, & Deum inuitis omnibus, quod inceperat esse perfecturum, sibi quoque nihil deinceps timendum, quandoquidem Deum pro sua esset & coniogis suæ habiturus parte. Quare omnia Dei omnipotentis committens prouidentiæ, læto constantique animo in hoc totus erat, omnia ad amussim compleret, quæcunque ab Angelo habuerat in mandatis. Atqui sic quidē exponenda esse hęc Euangelistæ verba, ex arte, quam dialectici obligatoriā vocant, dicere cogimur. Diximus ab initio vtrumque, Mariā scilicet & Ioseph, firmissimā de alterius sanctitate, & virginitate habuisse certitudinem. Et tunc temporis prophetiæ, quæ de Christo erant, in omnium ferè versabantur ore. Adeò quod Christo nato, cum de loco, vbi Christus nasceretur quęreret Herodes, statim dixerūt sacerdotes, & doctores legis, quòd in Bethleem. Sicut de loco certi erant, ita & de matris illius virginitate ex Prophetis quoque quid credendum, esset didicerant. Diximus autem à principio virginem, & à parentibus, & à seipsa votam Deo fuisse, quare & à sacerdotibus, vt custodienda Iosepho, simili voto obligato Deo, tradita fuit,

fuit, vnde obligatum me ex præmiſsis video ad dicendum, quod timuerit Ioſeph reprælhendi, vt infidelis tam ſacræ rei cuſtos, vt qui promiſsis non ſtetiſſet, & datam Deo fefelliſſet fidem. Iuſtus autem vir cõſcientiam propter Deum bonam habere ſtudet, & propter proximum bonã famam, quam qui negligit, infideli deterior eſt. Timuit ergo etiam probi viri & fidelis perdere famam & nomẽ, quæ integra in illam vſque ſeruarat horam. Et quorſum tot, dices ſuper iſtis verbis Euangeliſtæ diſcurſus & diſputationes? Dicam. Si probare quis poſſet, Ioſeph de beatæ Mariæ ſanctitate dubitaſſe, quæ ſuperius à nobis dicta ſunt, de emiſſo ab vtroque virginitatis voto, & de mutua ſanctitate vtriuſque perſuaſione & certitudine, omnia corruerent, niſi ſolidius verum aſſeruerimus horum verborum ſenſum, & Ioſephum de ſponſæ adulterio docuerimus, nunquam vel ſuſpicatum fuiſſe. Vt omnia ſibi conſtent, nihilque ad vnam dicamus partem, quod alterã deſtruat: Sed his omiſsis, ad declaranda ex mente antiquorũ Angeli ad Ioſephum verba, tempus eſt conuertamur.

Angelus itaq; in ſomnis apparuit Ioſeph. Credo enim ego Ioſephum prophetam fuiſſe, & donum diſcernendi ſpiritus, ſi ex Deo

essent, & discernendi quoque quæ à Deo somnia essent & quæ non, habuisse non minus quàm illum alterum Ioseph huius figuram, qui domus Phutipharis quondam magister, ob suam fidelitatem & castitatem, totius deinde magistri sui domus, & regni tandem Pharaonis regis & Domini sui, præfectus dominúsque fuit, vnde factum est, vt fidem statim angelo preberet, quam alia etiam ratione tam citò præstitit, quia propter opinionem sanctitatis Marię ad facile credendū vel minimo alicuius authoritatis nuntio dispositus erat, qui illi ex Spiritu sancto ipsam concepisse diceret, & assereret. Quod nostram quoque confirmat superius positam sententiam. Nam quod tam facile, tam magnum quid de Maria, vnius tantùm somnij motus crediderit authoritate, argumentum est euidens quātā de illius sanctitate opinionem haberet. Videbatur namque occasionem expectare, vt tale quid de ea crederet, paratus scilicet, quæcunque dicerentur de tam sancta credere, vtcūque sensui tandem contraria essent. Sed quid dixit illi Angelus? Ioseph, inquit, fili Dauid noli timere, &c. filium vocat Dauidis, vt subinde in memoriam illi reuocet, quæ ad Dauidē factæ erant de Christo, de semine eius nascituro, promissiones.
Quod

Quod autem ait, Ne timeas accipere Mariā coniugem tuam, timore autem indicat, vt deserere eam vellet. Non itaque zelotypia aut animi impotētia vel desperatione, sed timore ductus voluit occultè dimittere eam. Et quis aut qualis timor iste fuit? Certè in viro iusto nō nisi sanctus esse potuit. Timore ergo sancto, timuit coniugem esse Mariæ, siue eā habitare sub nomine viri, ob obstupenda scilicet, & admiratione plena mysteria, quæ circa eam fieri cernebat. Non dubito enim quin senserit sæpius, visionibus sponsam suam honorari Angelicis, sanctitas illius perspectissima illi erat, videbat sanctam grauidam, nesciebat vnde hoc esset, sciebat non esse ex se, aut ex alterius alicuius viri opera. Quid ergo sequutū est? Timebat planè, quia nesciebat vnde pregnans esset. Notemus bene verba Angeli. Ex remedio ægrotanti dato, expertus iudicat medicus, quo laborauerit morbo. Sic faciendum nobis hic est. Ex remedio timoris, ab Angelo à Deo misso ipsi Ioseph dato; clarissimè, quæ illi causa esset timendi facileq; dignoscitur. Remedium fuit timoris, docuisse Ioseph, ex quo sua grauida coniux esset, qualem vtero gestaret fructum, & ex parte Dei illi præcepisse non eam dimitteret. Vbi enim audiuit quòd ex Spiritu

sancto concepisset, & quem cõceperat filium vocandum Iesum, eò quòd populum suum à peccatis esset saluaturus eorum, timorem deposuit omnem, & cum Maria de cætero perpetuo manere, firmo statuit proposito, quandoquidem mandatum de hoc faciẽdo acceperat diuinum. Non sine causa autem dico posuisse eum timorem, postquam sciuit vnde Maria prægnans facta esset, habito tamen prius mandato de nõ eam dimittendo. Nam post tanta de eius electione cogoita mysteria, quòd scilicet filij Dei mater esset, & per eã salus deberet incipi populi sui, multo magis quàm antea cum Maria manere timuisset. Ex remedio timoris cognoscimus, quæ illi fuerit occasio timendi, quæ plane erat, vnde grauida vxor esset ignorasse. Si ignorantia eius, ex quo grauida esset, pauoris eiusmodi causa fuit, nónne euincitur manifeste, quod de vxoris non dubitauit adulterio? Nam si secundum cõmunem naturæ legem de Maria iudicasset, nonne pro certo tenuisset, notúmque habuisset vlla absque hæsitatione, aut formidine de opposito, quod ex a io viro adultero scilicet, concepisset? Quis de hoc dubitauerit, nisi iudicij prorsus expers? Ignorantia ergo fuit causa timoris ipsius Ioseph. Ignorare autem non poterat, an de altero viro

ro concepiſſet, ſi de Mariæ dubitaſſet caſtitate. De hoc itaque non dubitauit. Tota ignorancia erat, vnde impregnata Maria eſſet, certo tamen ſciebat non ſecũdum communem naturæ vſum grauidam factam. Hæc præcipua cauſa eſt timoris, & conſilij de ineunda fuga capti. Vides vt ex circunſtantiis verborum Angeli, veram de cauſa timoris ipſius Ioſeph habemus ſcientiam, ex remedio in morbi den enendo notitiam. Eadem ratione, quo in ſenſu illud Angeli verbum, Accipere coniugem tuam, intelligendum ſit, comperiemus. Opponitur enim ab Angelo, effectui timoris ipſius Ioſeph, qui erat velle dimittere eam. Iſtud ergo, Accipere coniugem tuam, idem eſt, ac ſi dixiſſet, Noli deſerere, noli dimittere coniugem tuam. Nunc enim plus tua eget opera, fideliq; conſortio, quàm vnquam antea, atque deinceps magis indigebit ac magis. Non igitur dimitteret, ſed perſeueraret cum illa, per illud, accipere, dictum Angelus voluit. Sed reſtat vbi timoris Ioſeph veram ex verbis Angeli cognouimus cauſam, de illius diſſeramus qualitate. Timor, fuga quædã eſt appetitus noſtro pro diſconuenienti, ſeu pro non conuenienti, oblati obiecti. Et eſt ſpecialis animi paſſio, cuius

sex facit Damascenus species, in 2. orthodoxæ fidei libro cap. 15. Diuiditur autem inquit, in sex, εἰς ὄκνον, id est, in cunctationem, εἰς αἰδῶ, in verecundiam, εἰς αἰσχύνην, in erubescentiam, εἰς κατάπληξιν, in admirationem seu stuporem, εἰς ἔκπληξιν, terrorem, εἰς ἀγωνίαν in agoniam. Ὄκνος siue cunctatio, inquit, est timor futuræ operationis: Αἰδὼς, id est, verecundia, timor est ex expectatione futuri conuicij, & hic affectus optimus est. Erubescentia, siue αἰσχύνη, timor est ex re turpi perpetrata. Stupor, admiratio, siue κατάπληξις, timor est ex magna imaginatione, ἔκπληξις siue terror, timor est ex imaginatione inconsueti mali. Agonia ἀγωνία, timor est casus & infortunij. Timentes enim in operatione infortunitatem agonizamus. Vbi commẽtator ait, quòd agonia est timor & sollicitudo mentem vexans ob malum extrinsecum iamiam perferendum, cui resisti non potest. Videndum nunc est, qua timoris specie beatus timuerit Iosep, Mariam in coniugem retinere. Et dicendum certè est quod κατάπληξις, id est, admiratio siue stupor is timor fuerit, cum erubescẽtia mixtus. Generatur enim stupor, vel ex vehementi & inconsueta imaginatione, vel ex magna rei insolitæ admiratione, cum rerum sensum admira

admirator non habet, fitque sui impos, & velut extra se egressus, in rem quam admiratur, rapitur totus. Admiratio autem ex causæ rei quam admiramur, generatur ignorãtia. Quia ergo Ioseph videbat vxorem prægnantem, & causam tanti ignorabat miraculi: sciebat autem ex viri hoc non prouenisse consortio, stupore perculsus ex tam insolita rei admiratione, timuit vlterius cum Maria habitare. Et dum suam indignitatẽ cum tantæ virginis conferebat probè sibi nota sanctitate, erubescebat & verecundabatur illius coniugem amplius se esse. Indecens namque existimabat, si cum tam sancta virgine, in qua tam insolita conspiciebat fieri, & stupore plena miracula, moram deinceps traheret. Ita illam timebat, & reuerebatur, vt quid in animo agitaret, prodere Mariæ non auderet, occulte ideo eam dimittere cogitabat. Timebat vel signo, vel verbo, vel facto offendere illam. An si adulteram credidisset vir prudẽs, & iustus, & legis Dei zelator perfectus, sic reuerenter sic verecundè cum ea se gessisset: & non potius verbis simul & factis, illam vehementius castigasset, reprehendissetque? Quod cum non fecerit, argumentum est infallibile, nunquam de Mariæ ipsum dubitasse castitate, sed admirationis, sed stuporis, sed reue-

rentię timorem fuisse illum, ob quem dimit-
tere eam cogitauit occulte: talis scilicet, qua-
li Angeli beati, diuinam contemplantes ma-
iestatem, timere ad illius contuitum, pauere-
que dicuntur. Talis erat timor iste respectu
arcæ noui testamenti, quę fuit in sancto Io-
seph, vt in eadem cum illa non auderet ma-
nere domo, qualis in patre eius Dauide quõ-
dam extitit, cum veteris testamenti arcam in
domum introducere suam, licet id percupe-
ret, ausus non fuit, de quo sic scribitur, Et ti-
muit Deum tunc tẽporis, scilicet cum vidit
Oza subita occisum à Deo morte, eo quòd
1. Paralip. 13. indignus, bona licet intentione, veteris te-
stamenti arcam, ne caderet, tetigisset, dicens:
Quomodo possum ad me introducere arcã
Dei? Et ob hanc causam non adduxit eam ad
se, hoc est in ciuitatem Dauid, sed auertit in
domum Obededom Gethei. Arca (inquit D.
Bernardus in quodam sermone, qui incipit
Aue Maria) testamenti, typũ tenet sanctæ Dei
genitricis. Nam hãc fecit Bezeleel, istam con
didit Emanuel. Bezeleel, Olyab in opere so-
cium habuit, & virgo quoq; virginum, con-
dita, praelecta, praeseruata, praeparata, & or-
nata per Spiritũ sanctum, & eius omnipotẽ-
tem filium, fuit. Hoc cum sciret Ioseph, ti-
mens simi iter ex indignitatis suæ conscien-
tia

tia, cum noui testamenti arca, in eadem manere domo fugam propriç meditatur domus. An non si adulteram credidisset, ipsam potius e sua expulisset domo? Ibi patet eius Dauid indignitatis suæ conscius, veteris testamenti arcam in domum accipere suam ausus non est. Sed iubetur hic Ioseph non timere Mariam accipere in coniugem, id est, apud se retinere. Dauid autem nisi per tres se prius præparasset menses, illam veteris testamenti arcam, in suam accipere domum non ausus fuisset. Talis quoque fuit timor iste, qualis & D. Petri, quando Domino, certo eius viso miraculo, stupore & admiratione plenus, dixit, Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Stupor enim inquit Euangelista, circundederat eum, & omnes, qui cũ eo erant, in captura piscium, quam ceperant. Talis quoque erat, qualis ille Centurionis fidelis extitit timor, qui Christum in suam expauit recipere domum, indignum se sciens sub cuius tectum tantus Dominus, vel tam sanctus ingrederetur propheta. Timor ergo Iosephi reuerentiæ erat & admirationis, non de Mariæ dubitatio castitate Sed præstat hęc, quę tam firmis sumptis ex Dei verbo asseruimus rationibus, aliquot antiquorum patrum roboremus testimoniis.

Hic primus occurrit antiquitate doctrināque clarissimus doctor Origenes, hæc eadē ante mille 300. annos, ex prædictis Euangelij educens verbis. Iose ph, inquit in quadam homilia, virtutem mysterij in ea cognoscebat, & ideo sibi appropinquare se indignum existimabat, & humilians se ante tantam & ineffabilem rem, se lōge facere quærebat, sicut & beatus Petrus Domino se humilians dicebat, Recede à me Domine, quia homo peccator sum. Ideo voluit eam occulte dimittere, dicens, Maior est eius dignitas, superexcellit eius sanctitas, nec meæ congruit indignitati. Hæc ille. Diuus quoque Bernardus in eadem est sententia, qui Homil. 2. super Missus est, sic de Ioseph scribit, Quare ait, voluit dimittere eam? Accipe & in hoc non meam, sed patrum sententiam. Propter hoc Ioseph voluit dimittere eam, propter quod, & Petrus Dominum repellebat à se dicens, Exi à me Domine, quia homo peccator ego sum: propter quod & Centurio à domo sua eum prohibebat cum diceret, Domine nō sum dignus, vt intres sub tectum meum. Ita ergo & Ioseph indignum & peccatorem se reputans, dicebat intra se, à tali & tanta nō debere sibi vltra familiare præstari contubernium, cuius supra se mirabilem expauesce-

bat dignitatem. Videbat & horrebat diuinæ præsentiæ certissimum gestantem insigne, & quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expauit Petrus potentiæ magnitudinem, expauit Cēturio præsentiæ maiestatem. Exhorruit nimirū & Ioseph sicut homo, tanti miraculi nouitatem, mysterij profunditatem, & ideo occultè voluit dimittere eam. Miraris quod Ioseph prægnantis sese consortio virginis iudicabat indignū, cum audias & sanctam Elizabeth eius non posse ferre præsentiam, nisi cum tremore quodam & reuerentia? Ait namque, Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ideo itaque Ioseph voluit dimittere eam. Sed quare occultè, & non palam? Ne videlicet diuortij causa inquireretur, exigeretur ratio. Quid enim vir iustus responderet populo duræ ceruicis, populo non credenti, & contradicenti? Si diceret quod sentiebat, quod de illius puritate comprobauerat, nonne mox increduli, & crudeles Iudæi subsannarent illum, lapidarēt illam? Quando namque veritati crederent in vtero tacenti, quam postea cōtempserunt clamantem in templo? Quid facerent necdum apparenti, cui postea impias manus iniecerint, etiam miraculis coruscanti? Meritò ergo vir iustus, ne aut mentiri,

tiri, aut diffamare cogeretur innoxiam, voluit occultè dimittere eam. Ex his Diui Bernardi verbis infero ego Iosephum audiuisse bene virginem parituram Christum, & putasse forsan hanc debere esse sponsam suam Mariam. Aliàs, cur illi virgo non ab eo cognoscenda dabatur in vxorem, nisi sub spe & expectatione futuri miraculi? Vt quid nuptiæ absque spe prolis? Cur ipse ab ipsa abstinet post nuptias, nisi diuinum quid circa eam futurum existimasset, aut saltem ex communi fama suspicatus fuisset? Sed vbi vidit factum quod futurum audierat, & re ipsa Mariã virginem iam grauidam esse, totus stupore, & admiratione correptus, non vlterius dignum se reputauit, qua cum habitaret, cum tam beatam factam eam vidit, vt perficerentur in ea, quæ dicta illi erant à Domino. Non crediderim ego absentem Ioseph fuisse, quando Maria coniunx, Zachariæ ingressa domum cognatam suam salutauit Elizabeth, sed præsentem fuisse, audisseque tum Elizabeth dicentem Mariæ, Beatã, quæ credidisti, quoniam perficietur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino. An putas deserturum eum per tres menses illam fuisse, quam seruandam suæ commissam fidei Deo teste sciebat? Arbitraberis ne etiam vel Iosephum tam parum curiosum fuisse

fuisse, vt nihil de vxoris inquireret rebus, vel Elizabeth non fuisse illum edoctum, quæ Spiritu sancto reuelante circa suam euentura esse sponsam dixerat? Quia autem iustus & sanctus, quia etiam propheta erat, omnia verba Elizabeth seruauit in corde suo, & conferebat, & meditabatur apud seipsum, & quando postea videt opere completum, quod futurum audierat, dixit intra se, Nunc scio verè, quia hæc virgo illa est, quæ Messiam paritura prædicitur à propheta. Quàm sanctam, quàm admirandam, hanc ergo esse oportet? Et quomodo ego homo peccator manere cum ea ausim. Hæc enim virgo Dei venit in domum meam, vt rememorarentur peccata mea in cõspectu Dei, & me occidat. Nonne scio ego quod quondam Ozæ euenerit sacerdoti circa figuram & vmbram huius veritatis? Fugiam ergo, & occultè, ne me detineat, dimittam eam, vt imminens mihi, effugiam sic periculum. Ioseph itaque non fuit incredulus, vt Zacharias, sed credulus, & fidelis, vti & Maria, sed cum vidit factum quod futurum solo dixerat ex auditu, creuit eius fides, & reuerentia ipsa erga Virginem, & ideo fugam, propter eius sanctitatis & electionis raritatem meditabatur. Expauit ergo, timuit, conturbatus fuit, ad cõtuitum

tam

tam insolitæ rei, maxime cùm nesciret quomodo grauida facta esset. Sic beata virgo credidit Angelo filium annuncianti, aliàs beata nō diceretur quia credidit, sed de modo, quo citra virginitatis id fieret dispendium, instrui ab Angelo voluit, quæ vbi Spiritus sancti operatione id futurum audiuit, omni abiecto timore consensit, & ancillam humilem Dei esse voluit. Ita idem Angelus, cum vidisset turbatum sponsum Mariæ, eo quòd grauidam eam videret, & quomodo id factum esset, ignoraret, simili modo eum instruit de mysterio, & ait, Spiritus sancti operatione id factum esse, quare, & ne timeret exhortatus eum fuit. Et sic Ioseph vbi à Spiritu sancto factum hoc esse intellexit, & Dei voluntatem esse, vt cum Maria maneret, voluntati se accommodauit diuinæ, & matris Domini sui, sponte se & libenter dedicauit obsequiis. Vterque timuit. Vtrique dixit Angelus, ne timeret, vterque credidit, de modo tantum instrui desiderabant, quo fienda aut facta mysteria hæc erant, quo cognito, vterq; diuinis se dedicauit & obtulit seruitiis. Signū autem est quòd in fide excelluerit, dū statim ad primam Angeli vocem, credidit ex Spiritu sancto concepisse Mariam, nec miraculum vllum, vnde id ita esse sciret, vti fecerat sacerdos

dos Zacharias, petiit ab Angelo, qui illi non in die, sed in nocte, non vigilanti, sed dormienti, atque in somnis apparuit. Si non credidisset optima & maxima quæq; de Maria, & non zelotypiæ pasſione, ſed admirationis & reuerentiæ timore actus, dimittere eam cogitaſſet, arbitraris tu tam facile illum viſioni iſti nocturnæ fidem adhibiturũ fuiſſe? Solóne ſomnio zelotypus maritus, tam vehementem & grauem poſiturus eſt animi paſsionem? Quid igitur tam faciliter credens indicat, niſi optimã habuiſſe ſe de Mariæ caſtitate opinionem, quę ſic illius diſpoſuerat mentẽ, vt vel minima data occaſione, ex Spiritu ſancto grauidatã eſſe crederet. Quis enim vnquàm tam difficile creditu myſteriũ tam facile credidiſſe legitur? Alij ſignis, portentis, atque miraculis, ad res credendum arduas allecti & inducti à Deo ſunt, vel manifeſtis, atque diurnis Angelorum viſionibus, hic ſoli vni in ſomnis habitæ viſioni, rem, omnem naturæ ſuperantem ſenſum, ſtatim nullo petito ſigno, nullo altero motus teſtimonio credidit. Quem mihi ex omnibus antiquis dabis patribus, tam incredibilem rẽ ita facile credidiſſe? Quodnam clarius afferri teſtimoniũ poſſet, ad quam ſuperius aſſeruimus de Ioſephi timore patrũ confirman-

dam sententiam? Non ex Zelotypia ergo timuit Ioseph, aut virginem vxorem deserere voluit, sed ex admiratione, ex stupore, ex reuerentia, ex verecundia, ex erubescẽtia, dum se indignum, qui eum tam sancta moretur virgine reputat, & credit. Vicimus itaque existimo, & aduersarij Mariæ vel Iosephi, telum quod in nos ex hoc Euangelij contorserat loco, retorsimus in illum, & contra illius errorem, suum à nobis inuersum, pugnare ostendimus argumentum, próque nostra militare parte. Vides quoque hîc, beneuole lector, quot nobis argumenta contra veritatis aduersarios, diligens, attentáque circũstantiarum verbi Dei suppeditauit obseruatio, atque rerũ de quibus loquitur consideratio profunda. Hæc autem fusius à nobis tractata sunt, tum, vt quàm conformiter Dei verbis, & rationi, antiqui loquuti sint, quos pro confirmanda nostra adduximus assertione, doctores, clarius intelligatur, tum etiam, vt aliter sentientium funditus euerterentur opiniones. Dum enim hęc scriberem, in quendam incidi librum, viri aliàs multum docti, qui cum eorum reiecisset opinionem, qui per verbum Traducere, diffamare in hoc loco significari docuissent, suam vt meliorẽ afferens, propriè per traducere, de domo patris

tris in domum mariti sponsam ducere, intelligendum esse asserit. Quod ex linguæ Græcę ignorantia, euenisse illi credendum est. Nam licet Græcè scire, necessarium nunc post tot antiquorum doctorum labores, ad rectè scripturam intelligendam non sit: tamen vtile admodum est, quandò sine aliorum magisterio, proprio quis ingenio latina interpretari conatur, ad Græcos recurrere fontes, tum maximè cum vox aliqua homonyma apud Latinos, pro vniuoca Græcis voce posita est, vti hic euenisse constat. Verbum enim Traducere Latinis, ὁμώνυμον æquiuocúmq; est, verbum παραδειγματίζειν Græcis non ita. Nam in exemplum aliquem ponere, ignominiosa eum aliqua puniendo pœna propriè significat. Quare constat vocem quoque Latinā Traducere, tantùm in vocis Græcę significatione interpretandam hic esse. Quod autem Mariam in Iosephi domū nondum traductam fuisse, dum hæc euenissent, interpretatur, error est ex alio natus errore. Vbi enim in foribus quis deliquerit, nunquam bene ingredi in domum potest. Nam cum in significatione verbi Traducere, eligenda errasset, errauit quoque consequenter in tota interpretanda sententia. Poterat tamen vel ex eo errare se cognoscere, quod Euangelista

ait voluisse Ioseph occultè dimittere Mariã. Nemo dimittit quod non habet, aut eũ cum quo nondum est. Hic satis ex superioribus explosus error est. Quare restat huic disputationi imponamus finẽ, & ad secundum confutationis præsentis progrediamur caput.

SECVNDA CONFVTATIO.

Alterum aduersarius argumẽtum ab authoritate negatiuè, in nostram contorquet assertionem, in eum qui sequitur modum, Non legimus, inquit, beatũ Ioseph virginem fuisse, nullaque hac de re habetur in sacra scriptura mentio, ergo non fuit virgo. Hoc enthymema vniuersali propositioni innititur falsæ, huic scilicet, Quicquid verũ est, in sacris continetur literis, vel huic, Nihil verum est, quod non habetur in sacra scriptura. Quæ cùm falsæ sint, argumentum fallax esse produnt. Quàm autẽ sit vitiosum, facilè fuerit ostendere, si Diogenis imitemur exemplum, qui cuiusdam sophistæ probare volentis Diogenem hominem non esse, atque sic argumentantis, Quod ego sum, tu non es, ego autem sum homo, ergo tu non es homo: sophisma facetè elusit, atque inuertit, dicendo optimè eum conclusurum fuisse, si à se incepisset sic scilicet arguendo, Quod tu

es

es, ego non sum, tu autem es homo, ergo non sum homo. Hanc conclusionem admisisset Diogenes, qui sophistam non habebat pro homine. Ita quoq; faciendum nobis est de hoc aduersarij argumento, cuius forma æquè nobis seruit, atque illi. Nam sic quoq; meam cõfirmabo ego sententiã, dicẽdo, Nõ legitur in scripturis quod Ioseph non fuerit perpetuo virgo, ergo virgo semper fuit. Nõ legitur quod fuerit bigamus, ergo bigamus non fuit. Non legitur quod aliam habuerit vxorem, quod vllum habuerit filium, ergo semper virgo fuit, quia in hominem iustum non cadit fornicatio. Vides vt ex eadem argumentandi forma, contraria concludantur, quod argumentum sophisticum esse conuincit. Talis formæ argumenta innumera apud hæreticos comperiuntur, quæ nisi apud artis dialecticæ ignaros, nullam habent vim. Quare non est cur diutius in eo immoremur refutando, ne in vanum traducamus tempus.

TERTIA CONFVTATIO.

Tertiũ argumẽtum ex eo sumitur, quòd sæpius fiat in Euangelio fratrum Christi mentio, sicut Matth. 12. legitur dictum fuisse Christo, cõcionem ad populum habenti, Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quæ-

rentes tibi loqui. Diuus quoque Paulus meminit Iacobi fratris Domini. Et frater hic nō in eo capitur sensu, in quo sumitur, dum Apostolos fratres vocat Christus, aut Paulus omnes Iudęos fratres suos, cum ait cupisse se anathema fieri à Christo pro fratribus suis. Arctiorem consanguinitatem significat nomen fratris, cum in Euāgelio quidam ex Apostolis singulariter fratres dicūtur Christi. Quia nomine fratris Latinis ij propriè significantur, qui ex iisdem geniti sunt parentibus, aut eodem saltē patre vel matre, factum est, vt cum audiunt nonnullos dictos fratres Christi, multi in errores inciderint diuersos, dum quomodo, vel qua ratione fratres fuerint isti Christi diuinant aut coniiciunt. אח autem Hebræis non solum illos significat, qui ex iisdem nati sunt parentibus, verùm & eos, qui ex duobus geniti sunt fratribus aut sororibus, quo in sensu accipitur, cum Abraham Loth fratris patris sui filium fratrem vocat. Non sit, ait, iurgium inter te & me, inter pastores tuos & meos, fratres enim sumus. Constat autem Abraham & Loth, non ex iisdem natos fuisse parentibus. Erat enim Loth fratris patris Abraham filius. Restat itaque hic inquirere, qua ratione, qui in Euangelio fratres Domini vocantur, illius fratres

fu erint

fuerint. An ſcilicet, quia eodem patre vel matre nati, an verò quia fratrũ aut ſororum filij eſſent, ſic dicti ſint. Erant quippe quatuor, qui ſpecialiter fratres Domini dicuntur: ſcilicet, Iacobus minor, Ioſeph, Simon Chananæus, Lebæus, qui cognominatus eſt Thadæus, aliàs etiam dictus Iudas. Hi dicti fuere fratres Domini, vt patet Matth. 13. cap. Vbi Iudæi dicunt de Chriſto, Nonne hic eſt filius fabri? Nõne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, Ioſeph, Symon & Iudas & ſorores eius? Nonne omnes apud nos ſunt? Idem habetur Marci 6. De his quæritur quomodo illius fratres fuerint. Prophani aliquot virginitatis perpetuæ matris Dei inimici, auſi ſunt polluto ſuo aſſerere ore, hos Virginis Mariæ & Ioſeph filios fuiſſe, quos poſt Chriſtum natũ ex matre Dei ſuſcepit. Sed tantam audire blaſphemiam animus horret. Quæ enim Angelo è cœlo à Deo miſſo, vt haberet filium nõ conſenſit, niſi prius abſque eo quod virum cognoſceret, fieri id debuiſſe intellexiſſet, poſt habitũ citra diſpendium virginitatis filium, quomodo à mortali perſuaſa viro aliquãdo fuerit, vt illius ſe permitteret vſibus? Vel quomodo Ioſeph, qui cum nondum planè ſciret, quæ in ea myſteria operatus Spiritus ſanctus eſſet, timuerat

admirantes ſuper his, quæ dicebantur de eo. Hæc Hieronymus contra Eluidium. Cum autem ſatis ſuperque in ſuperioribus probauerimus, æquè fuiſſe impoſsibile virgini poſt partum cognoſcere virum, atque fuerat ante partum, ob perpetuæ virginitatis factum ab ea votum, non eſt quod in tam manifeſto reprobando errore diutius inſudemus. Pro articulo enim fidei tenendum eſt nullum niſi Chriſtum, beatam Mariam habuiſſe filiũ. Sed an iſti Domini fratres, Ioſeph filij ex alia fuerint vxore, diſquirendum nunc eſt. Atque hic plurimum premimur, ac grauamur antiquorum aliquot doctorum authoritate, aliter quàm ipſa ſe res habet, vt poſtea docebimus, ſentientium. Quales ſunt Egeſippus libro de excidio Hieroſolymitano. Euſebius Ceſarienſis lib. 2. Eccleſiæ hiſto. cap. 1. Chryſoſt. in quadam de annunciatione beatæ Mariæ homil. Et alij ex Græcis multi, qui iſtos Domini fratres, ex alia vxore Ioſeph filios fuiſſe teſtantur. Verba anneƈtam Chryſoſtomi. Hic Ioſeph, fratres, claro prius iunƈtus matrimonio ſuſceperat liberos, poſt autem vxore repudiata in caſtitate vixit, & liberos in diſciplina & timore Domini educauit. Cùm autem Paulus Apoſtolus ad Euangelij promulgationem proficiſceretur, & vnum ex fi-

liis eius reperisset, alium inquit, Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobū fratrem Domini, non ex Maria, sed ex Ioseph genitum. Eusebius autem sic de Iacobi fratre Domini scribit, Eodem fere, inquit, tēpore, Iacobum, (qui frater Domini ideo appellatur, quòd erat filius Ioseph, qui pater Christi fuisse putabatur, cui Maria virgo despōsata prius erat quàm conuenirent, sicut sacrosancta Euangeliorum eloquia liquidò testantur, grauida ex Spiritu sancto inuenta est) hunc inquam Iacobum veteres propter singularem virtutem, qua præter cæteros præstabat, iusti cognomine donauerunt, primùm sedem episcopalem Ecclesiæ, quæ est Hierosolymis, obtinuisse, memoriæ traditur. Theophilactus autem super Matthæum.ca. 12. licet alio modo quàm Chrysostomus fratres eos fuisse dicat Christi, tamen in hoc cum eo conuenit, quòd Iosephi filios eos fuisse putauit. Eius hæc sunt verba, Fratres, inquit, habuit Dominus & sorores, Ioseph filios, quos genuit ex vxore fratris sui Cleophæ. Mortuo enim absque liberis Cleopha Ioseph iuxta legem vxorem eius accepit, & pueros procreauit sex, quatuor mares, & duas fœminas, Mariam, quæ dicebatur Cleophæ filia secūdum legem, & Salomen. Gregorius quoque Nis-
senus

ſenus, oratione ſecũda de reſurrectione Domini. Veros Ioſephi filios eos fuiſſe aſſerit: ſed ex alia vxore.

Nicephorus cap. 21. hiſt. Eccleſiæ. Iacobum filium Alphęi,& Iudam Iacobi germanum,vtrumque ait ſponſi,Ioſephi ſcilicet,filios fuiſſe. Horum opinionem ex Latinis ſequuti ſunt Diuus Hilarius Pictauorum Epiſcopus ſuper Matth.cap.1. & Diuus Ambro. Mediolanenſis epiſcopus,ſuper epiſt. ad Galatas cap.1. Qui quidem ſic ait de Diuo ſcribens Paulo, Iacobum inquit, vidit Hieroſolymæ, quia illic erat cõſtitutus ab Apoſtolis Epiſcopus, qui & ipſe prius fuerat incredulus,ſicut dicit Euangeliſta. Quia nec fratres eius,inquit,adhuc credebant in eum. Hic Iacobus filius fuit Ioſeph, qui ideo frater Domini appellatus eſt,quia & Ioſeph pater eius, etiam Domini pater nũcupatus eſt. Sic enim dicit Maria ad Ieſum in Lucæ Euangelio, Quid feciſti nobis fili? Etenim & ego & pater tuus mœſti & triſtes quærebamus te. Et in Euangelio Ioan.dicit Philippus ad Nathanael.Quem ſcripſit Moſes in lege & Prophetæ, inuenimus Ieſum à Nazareth, filium Ioſeph. Hoc ergo modo dictus eſt Dominus frater Iacobi,& cæterorum,quo & filius nuncupabatur Ioſeph.Quidam enim ducti inſa-

nia hos veros Domini fratres de Maria natos, impia assertiooe cōtendunt, cùm Ioseph non verum eius patrem dicant appellatum. Lib. de institutione virg. cap. 6. idem dicit, Poruerunt, inquit, & fratres esse ex Ioseph, non ex Maria. Quod quidem si quis diligentius prosequatur, inueniet. Vnde constat dictos patres abhorruisse quidem eorum insaniam, qui ex Maria hos Domini fratres susceptos à Ioseph fuisse arbitrati sunt, quod autem Ioseph ex alia vxore fuerint filij credidisse, & asseruisse. Sed quia manifestè ex Euangelio constat, quis horum Domini fratrum pater, quæue mater fuerit, bona istorum patrū venia, licebit ipsam in medium ex Euangelica historia proferre veritatem. Fit enim plerumque, vt dum vnus aliorum diligentiæ fidit, authoritatique innititur, non ita diligenter in omnibus veritatem inquirat, atque par esset. Certè hac in parte prædictos hallucinatos esse patres ex Euangelio docebimus, idque clarissimè.

Primum autem notabis morem fuisse Hebræis in genealogiis recensendis, aut historiis, patris nomen io geoitiuo cum nomine proprio cognominis vice ponere. Sic Simonem Ioannis vocabat Christus Diuum Petrum, eo quòd Ioanois filius esset, qui alibi Simon

Simon Barjona appellatur, id est, filius Ionæ siue Ioannis. Et semper vt plurimum obseruandum hoc est, nisi cum alio ex scripturæ loco de opposito constaret, vti de Iuda Thadæo, quem D. Lucas cap. 6. vocat Iudam Iacobi. Ipse autem Iudas in sua epistola se vocat Iudam Iacobi fratrem, vnde cõstat quod hoc in loco Iudas Iacobi pro fratre Iacobi ab Euangelista positum est. Sic & Marci 16. & Luc. 24. vocatur Maria Iacobi, mater Iacobi minoris, quam cap. 15. vocat Marcus Mariam Iosephi, quia paulò antè horum matrem illam appellauerat. Sed in omnibus aliis locis pro patris sumendum est nomine. Sicut Matthæi 10. cap. vbi Apostolorū recensentur nomina. Quo in loco cum duos Apostolos Iacobi nomine vocatos discernere ab inuicē Euangelista vellet, vnum vocauit Iacobum Zebedæi, & alterum Iacobum Alphæi. Idem fecit Marcus cap. 3. & Lucas cap. 6. Non est autem dubium, quin primus ille Iacobus filius esset Zebedæi, & frater Ioãnis Apostoli. Eadem autem ratione secundus dicẽdus est filius Alphæi, quia vocatur Iacobus Alphæi. Sic quod de patre cõstat Iacobi minoris, qui Iacobus Alphæi vocatus est, quòd Alphæi filius fuerit, non Ioseph. Nam si filius fuisset Ioseph, sicut dixit de primo Iacobo, quòd esse

set Zebedæi, dixisset de hoc quod esset Ioseph, & dixisset Iacobus Zebedæi, & Iacobus Ioseph. Quod tamen non fecit, quare non Ioseph, sed Alphęi filius fuit, & sic de patre constat Iacobi minoris,& per cõsequens fratrum eius,quod non fuerit Ioseph, sed Alphęus. De matre quoque eorum,ex ipso etiã Euangelio quæ fuerit, satis manifestum est. Nam ea fuit Maria Cleophæ filia,soror virginis Mariæ. Quod sic declaramus. Nam Matth.27.cap.quod ea Iacobi Iusti & Ioseph mater fuerit,aperte Euangelista testatur,dum ait, Erant autem ibi (nempe vbi crucifixus est Dominus) mulieres multæ à longè, quę sequutæ erant Iesum à Galilæa, ministrantes ei,inter quas erat Maria Magdalenę,& Maria Iacobi & Ioseph,& mater filiorum Zebedęi. Quòd autem Iacobi minoris mater fuerit, non Iacobi Zebedęi, apertè Euangelista innuit, dum postquam dixerat Maria mater Iacobi & Ioseph,ait,Et mater filiorum Zebedęi, qui erant Ioannes & Iacobus maior.Marcus autem, Iacobi minoris matrem eam vocat, ad differentiam Iacobi maioris filij Zebedęi. Erant autem,inquit ca.15.sui Euangelij,& mulieres de longe aspiciẽtes, inter quas erat Maria Magdalenę, & Maria Iacobi minoris,& Ioseph mater,& Salomæ. Vnde probatur

batur Mariam matrē fuisse Iacobi & Ioseph, qui fratres Domini dicti sunt. Sed ne quis arbitretur, Mariam hanc matrem fuisse Domini cum impio Eluidio (qui forsan hinc suum hausit errorem, dum quæ fuerit Maria hæc, non vult ex Diuo Ioanne discere) audiamus Euangelistam, asserentem sororem eam Mariæ matris Domini fuisse. Sic enim ait Euangelij sui cap. 19, Stabant autem iuxta crucem Iesu, mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ. Mariam Cleophæ dixit, id est, filiam Cleophæ. Quam alij Mariam matrem Iacobi minoris & Ioseph dixerunt, Diuus Ioannes Mariam sororem Dei genitricis, & filiam Cleophæ vocauit. Maria ergo Cleophæ, soror beatæ virginis, horū, qui fratres Domini dicti sunt, mater fuit, pater verò Alphæus. Et quia hoc ex Euangelio constat, pro certo habendum est. Sed ne sine antiquorum authoritate loqui videar, audi beatum Hieronymum in 12. cap. Matth. sic scribentem, Quidam, inquit, fratres Domini de alia vxore Ioseph filios suspicantur, sequētes delyramenta apochryphorum, & quandam Mecham vel Escham mulierculam cōfingentes, nos autem fratres Domini non filios Ioseph, sed consobrinos saluatoris, sororis Mariæ materteræ Domini,

filios

filios intelligimus, quæ esse dicitur mater Iacobi minoris & Ioseph & Iudæ, quos in alio Euangelij loco, fratres Domini legimus appellatos: fratres autem consobrinos dici omnis scriptura demonstrat. Theodoretus quoque in primū cap. Epistolę ad Galatas, idem testatur. Vocatur, inquit, (de Iacobo minore loquens.) quidem frater Domini, sed non erat natura: Sed nec fuit Ioseph filius, vt quidam existimarunt, ex priori matrimonio natus, sed erat quidem Cleophæ filius, Domini autem consobrinus. Habuit enim matrem, matris Domini sororem. Sed in hoc fallitur Theodoretus, quòd Cleophæ filium dixerit, non Alphæi: forsan in eo deceptus est, quòd dum sororem Mariæ Mariam Cleophæ vocatam legit, existimauit sic ideo dictū, quòd Cleophæ vxor esset, cum potius filiam intelligere debuisset. Hieronymus contra Eluidium amplissimum vobis erit testimonium. Sic enim scribit, Ecce, inquit Eluidius, Iacobus & Ioseph sunt filij Mariæ matris Domini, quos Iudæi appellauerunt fratres Christi. Dicit autem Iacobi minoris ad distinctionē Iacobi maioris, qui erat filius Zebedęi. Impium enim dicit esse Eluidius hoc sentire de Maria, vt cum aliæ fœminæ ibi fuerint, matrem eius abesse dicamus, aut alteram esse
Mariam

Mariam, nescio quam confingamus, præsertim cum Euangelium Ioannis testetur, cam illic fuisse præsentem. O furor cæcus & in proprium exitium mens vesana: audi quid Ioannes Euangelista dicat. Stabant iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophę, & Maria Magdalenæ. Nulli dubium est duos fuisse Apostolos Iacobi nuncupatos vocabulo, Iacobum Zebedęi, & Iacobum Alphęi. Iste autem nescio quis Iacobus, quem Mariæ filium scriptura commemorat, si Apostolus est, Alphęi filius erit, si non Apostolus, sed tertius nescio quis Iacobus, quomodo putandus est frater Domini, & quomodo tertius ad distinctionem maioris minor appellabatur, cum maior & minor non inter tres, sed inter duos soleant præbere distantiam, & frater Domini Apostolus sit, Paulo dicente, Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobũ fratrem Domini. Ne autem Iacobum hũc putes filium Zebedæi, lege actus Apostolorum, iam ab Herode fuerat interemptus. Restat conclusio, vt Maria ista quæ Iacobi minoris scribitur mater, fuerit vxor Alphęi, & soror Mariæ matris Domini, quam Mariam Cleophæ Ioãnes Euangelista commemorat. Si autem inde tibi alia, atque alia videtur, quòd alibi dicatur Maria

Iacobi

Iacobi minoris mater, & alibi Maria Cleophæ, dicens scripturæ consuetudinem eundem hominem diuersis nominibus appellari, sicut Raguel socer Moysi Ietro dicitur. Et similiter Maria Cleophæ vxor Alphæi, hæc eadem dicta est Maria mater Iacobi minoris, quæ si mater esset Domini, magis eam vt in omnibus locis matrem alterius voluisset intelligi, verùm & si alia fuerit Maria Cleophę, & alia Maria Iacobi & Ioseph mater, hoc tamen constat non eandem Mariam Iacobi, & Ioseph esse matrem quam matrem Domini.

Beda, Iacobum, autem minorem dicit, Iacobum Alphęi, qui & frater Domini, dicebatur, eo quod esset filius Mariæ matertere Domini, cuius meminit Ioannes dicens, Stabant iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ & Maria Magdalenę. Mariam autē Cleophæ videtur eam dicere à patre siue cognatione. Vocabatur autem minor Iacobus ad distinctionem maioris Iacobi, videlicet filij Zebedæi, qui inter primos Apostolos vocatus est à Domino. Dionysius Carthusianus in 27. cap. Matthæi, sic etiam ait, de mulieribus Christi cruci astantibus. Inter quas, inquit, erat Maria Magdalenæ & Maria, quæ fuit Iacobi minoris & Ioseph mater, erátque soror virginis matris

matris Christi, quam Ioannes vocat Mariam Cleophæ, quoniam fuit Cleophæ filia. & in 3.cap. Matth. sic ait loquẽs de fratribus Christi, De istis fratribus dictum inquit est suprà, quod fuerunt consobrini Christi, vt dicit Hieronymus contra Eluidium hæreticum. Sanctus Thom. in vno loco dicit, quòd hi, qui in Euangelio vocantur fratres Christi, fuerint filij Ioseph ex alia coniuge, alibi dicit quòd Ioseph virgo fuerit, quod Beda & alij communiter asserunt, & sic fratres isti, fuerũt Christi nepotes. Cum enim, ait, in cruce cõmiserit matrem suam virginem virgini cum esset adulta, credibile est quod iuuenculam non commiserit nisi virgini spõso. Lyranus in 2.cap. Ioan. de fratribus Domini loquens, Alij dixerunt, inquit, quod fuerunt filij Ioseph ex alia vxore: dicuntur tamen hic fratres Christi, eo quod Ioseph putabatur pater eius. Sed hoc est falsum, quia cùm Christus matrem suam in cruce non commendauerit nisi virgini etiam cum iam in ætate processerat, non est verisimile quod Ioseph qui fuit assignatus à Deo præcipuus custos eius, & in iuuentute virginis non fuerit similiter virgo, imo cum ea votum virginitatis emisit, quia erat in consimili proposito sicut ipsa, prout diffusius tractatur in 4. Sentent. vbi agitur de

coniugio Mariæ & Ioseph. De hoc etiam plenius dixi super Lucam cap. 1. Dicuntur igitur hic fratres Christi cognati eius, quia illi qui sunt de eadem cognatione, in sacra scriptura nominantur frequẽter fratres. Vnde Genes. 14. Dixit Abr aham ad Loth, Ne sit iurgium inter te & me, fratres enim sumus. Hęc Lyranus. In primum autẽ cap. Matth. asserit Ioseph antequam desponsaretur, virginem fuisse, & post desponsationem vbi per reuelationem cognouisset Mariæ propositum, votum cum ea virginitatis emisisse.

Lyranus in cap. 1. Matth. Ex parte nostra inquit, rationabile fuit, quod virgo desponsata esset antequàm conciperet. Quia sicut per Thomã palpantem cicatrices Christi certificati sumus magis de resurrectione Christi, ita per Ioseph magis certificati sumus de virginitate Mariæ, quia dolore iniuriç motus fuisset ad vindicandum opprobrium, nisi in virgine cognouisset diuinum sacramentum.

Ioseph cum esset iustus.

Glossa ordinaria. Iustus per fidem, quia cre debat Christum de virgine nasciturum, & vo luit se humiliare ante tantam gratiam. Vult Glossa dicere, humilitatis fuisse timorem illum, quo Ioseph timuit accipere Mariã coniugem

iugem suam, &c. Sequitur in eadem Glossa. Quòd iustus erat, hoc est testimonium Mariæ, vt qui seruat innocentem, iustus dicatur, sed & pius dum nollet propalare, ex conscientia castitatis iustus, ex timore pius. Sciebat illam esse inculpabilem, sed vnde vel quid esset ignorabat, & ideo mediam elegit viam effugiendi, vt neque innocentem proderet, neque rei incognitæ consentiendo, se reum faceret coram Deo. Vera virtus est, cum nec pietas est sine iustitia, nec sine pietate iustitia, quæ separatæ ab inuicem dilabuntur. Eadem Glossa super illa, Et nollet eam traducere. Traducere inquit, ad pœnam in qua nouerat non esse infamiã, quia sciebat se eam virginem accepisse, intactam seruasse. Notabis inde eos errasse, qui existimarunt verum coniugium inter Iosepb & Mariam non intercessisse, quia desponsationis fiat mentio, & non nuptiarum, eo quod putent similiter processisse Iudæos in cõtrahendo matrimonio atque fit inter Christianos, inter quos sponsalia matrimonium cõtractum per verba de præsenti & nuptias solemnes, præcedere per multos dies solent. Apud Iudæos autem eadem erant sponsalia & nuptiæ, vt patet in nuptiis Thobiæ & filię Raguelis. Lyranus. Cùm esset iustus, & nollet eam tradu-

cere, id est, propalare, quia non erat certus de crimine. Voluit occultè dimittere eam. Ne forte ex opposita parte faueret sibi in crimine. Et bene dicitur, quod occultè, ne si in palam eam relinqueret, nesciret respondere determinate causam dimittendi eā hoc quærentibus, cùm haberet argumēta insolubilia ex vtraque parte, vt visum est. Nota quomodo Lyranus exponens istud, non cognoscebat eam donec peperit filiū suum primogenitum, sic reiicit opinionē Eluidij oppugnantis perpetuam virginitatem Mariæ, ex eo quod dicitur Christum habuisse fratres. Sed hoc, inquit, non valet, quia sicut dictum est, Maria & Ioseph virginitatem vouerant. Item beata virgo Maria fuisset ingratissima, si tanto ac tali filio non fuisset contenta. Item Ioseph qui dicitur sanctus, sceleratissimus, ac præsumptuosissimus si templū Spiritus sancti speciale habitaculum Dei, violare ac polluere præsumpsisset. Deinde soluit argumentum, quod ex voce donec, sumebat Eluidius. Ad primum dicendum, quod hæc dictio, Donec, aliquando significat tempus determinatum, quo transacto fit aliquid, sicut dicitur, Iste non comedit donec esset hora sexta. Hoc est intelligendum, quòd completa sexta, comedit, & sic non capitur hic. Alio modo

modo accipitur pro semper, sicut in psal. habetur de Christo. Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellũ pedum tuorum. Non est sic intelligendum, quod quando inimici eius erunt positi sub pedibus eius tempore iudicij, quòd tunc dimittat sedere ad dexteram patris, immo æternaliter sedebit. Et hoc modo accipitur hic donec, cum dicitur, Non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum. Nota ad argumentum, quod sumitur ratione vocis primogeniti, quod egregiè soluitur, si ex Diuo Paulo adduxeris illa ex epistola ad Hebræos verba, Quum introduxit primogenitum suum in orbem terræ, ait, Et adorent eum omnes Angeli Dei. Ex quo non sequitur oportere Deum patrem plures habere filios, quia Christus eius dicitur primogenitus. Hos nũc doctores citasse suffecerit, cùm eorum sententia manifestè ex scriptura sumpta sit. Vbi enim contrariæ doctorum aliqua de re inueniuntur opiniones, ea sequenda fuerit, quæ scripturæ sacræ cõformior esse videbitur, qualis absque dubio est Diui Hieronymi, Theodoreti, & Bedæ sententia, pro nostræ assertionis confirmatione, allegatorum à nobis. Nescio quid aduersum hæc excipere contradictor posit, nisi Alphæum fingat eũ-

dem esse qui & Iosephus, dicendo scilicet bi nomium Iosephū fuisse, quales multi in scriptura leguntur, & altero nomine Alphæum dictum fuisse. Sed cum hoc ex scriptura nullam, aut patribus habeat authoritatem, eadem reiicitur facilitate, qua & dicitur. Cum enim sæpius & Ioseph & horum fratrum facta sit in scriptura mentio, nunquàm neque Ioseph Alphæus vocatus est, neque ipsi filij Ioseph, vel eorum mater Ioseph dicta vxor. Quod fieri solet in scriptura de binominibus, vt scilicet aliquo loco indicet eum, qui est binominis, dum variè appellatur in ea, ratione duplicis eius nominis id sic fieri. Verū efficaciori, eaque ex scriptura sumpta ratione, hoc aduersarij elisurus sum telum. Dicóque paucis, quod Ioseph quia iustus erat, & legis Dei transgressor non erat, Mariam matrem Christi & sororem eius Mariam Cleophæ, simul vxores habere nō potuit. At hoc fieri necesse erat, si Ioseph filios, eos qui fratres Christi dicuntur, fuisse contendas. Nam certo certius constat, eorum matrem, sororem fuisse matris Domini. Constat quoque simul eas ad mortem vsque vixisse Christi, quandoquidem ambæ Diuo Ioāne teste, stabant iuxta crucē eius, & Mariæ Cleophę filij, tam tum grandæui erant, eorūmque duo ex

Aposto

Apostolis erant Christi, Iacobus scilicet minor & Thadæus. Ambas autem sorores habere simul in vxores sibi nõ licuisse, ex Leuitici cap. 18. manifestum est, vbi sic præcipit Deus, Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius nõ accipies, nec reuelabis turpitudinem eius adhuc illa viuente. Quàm autem strictè legem hanc cum reliquis, quæ illo præscribuntur capite seruari Deus vellet, ex iis, quæ post tales latas leges appoſuit minis scire facile est. Omnis, inquit, anima, quæ fecerit de abominationibus his quippiam, peribit de medio populi sui. Sequitur itaq; cum Ioseph has transgressus leges nunquam fuerit, Mariam viuente sua sorore, vxorem eum habere non potuisse, nec vnquam, cum iustus fuerit, habuisse. Nam etiam si alteram earum repudiasse eum dixeris, tamen vnam sororem altera viuente, vxorem habere non poterat. Viuebant autem ambæ adhuc dũm Christus crucifixus mortem obiit. Ioseph autem antè obiisse ex eo cõstat, quòd virginis matris custodia non illi, sed Diuo committitur Ioanni, qui si in viuis adhuc fuisset, coniugis suę custodiam nulli alteri ctedidisset Christus. His ita stabilitis, quod scilicet Ioseph matrem istorum, qui fratres dicuntur Domini, habere in vxorem nũ potuit, credendum est Euan-

gelio, quod eorum patrem Alphæum fuisse testatur. Et per consequens funditus contraria ruit opinio, quæ Ioseph, fratrum Domini patrem fuisse suspicatur. Sequitur autẽ cum sororis matris suæ filij fuerint, consobrinos tantùm fuisse eos Christi qui communi, & visitato Hebræorum loquendi modo fratres quoque dicuntur. Quare concludo verbis beati Hieronymi contra Eluidium, virginem Ioseph semper fuisse. Tu dicis, inquit, Eluidio loquẽs, Mariam virginem non permansisse. Ego plus mihi vendico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, vt ex virginali coniugio virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, & aliam eum vxorem habuisse non scribitur, Mariæ autem, quam putatus est habuisse, potius sponsus fuit, quàm maritus, relinquitur virginem eum mansisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari. Ante beatum Hieronymum idem docuit D. Abdias Babyloniorum Episcopus, ab Apostolis Symone & Iuda constitutus, qui Domini fratres dicti fuere, quorum & discipulus fuit, qui in eorum vita, quæ in libro Apostolicæ historiæ ab eo descriptæ habetur, exertè asserit D. Ioseph semper virginem fuisse. Diuus Augustinus sermone 14. de natiuitate Domini ita quoque

quoque dicit. Habe ergo, inquit, Ioseph cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum. Sit Maria spōsa mater Christi, in carne sua virginitate seruata, sis autem & tu pater Christo cura castitatis, & honorificentia virginitatis, & de virgioeis membris genitricis secu'is Christianis nulla sit zelotypia. Et paulò pòst, Gaude itaque Ioseph nimiúmq; congaude virginitati Mariæ, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugij, quia per meritum virginitatis ita separatus es à concubitu vxoris, vt pater dicaris saluatoris. Rupertus quoq; Abbas Tuitiensis super Matth. ca. 1. vbi citasset D. Hieronymū contra Eluidium hæreticum dicentem Ioseph virginem fuisse, monstrum istud Eluidiū execrandum ab omnibus esse asserit, ob tam impium ipsius dogma.

Dominus Ioannes Gerson totus est in sua Iosephina in asserendo perpetuo virginem eum fuisse. Hugo de sancto Victore in annotationibus super epistolam ad Galatas. q. 3. Idem asserit. Sed & Beda venerabilis hæreticos plane pronunciat, qui Iosephi filios fratres Domini asserere ausi sunt. Idque super 6. cap. Marci, vbi sic ait, Fratres & sorores Domini Iudæi secum esse testabantur, qui

tamen non liberi Iosseph aut Mariæ, iuxta hæreticos putaudi sunt, sed potius iuxta morem sacræ scripturæ Christi cognati sunt intelligendi, quomodo Abraham & Loth fratres appellaotur, cum esset Loth filius fratris Abrahæ. Et multa habes huiusmodi: & in 8. cap. Lucæ, fratres Domini, inquit, non filij beatæ semper virginis Mariæ iuxta Eluidium, nec filij Ioseph de alia vxore iuxta quosdam putandi, sed eius potius intelligendi sunt esse cognati, sicut & supra disseruimus. Hæc Beda. Quare mihi videtur antiquos illos, quos contra nos adduximus patres, non ex propria loquutos fuisse sententia, cùm Ioseph ex alia vxore filios, fratres fuisse domini asserũt. Sed hoc ab hæreticis corum insertum fuisse libris, quale quid factum fuisse ab Arrianis in operæ imperfecto diui Chrysostomi super Matth. à doctis deprehensum est viris, vel certè humanum quid passos eos esse, dicendum est. Nam quãdoque bonus dormitat Homerus. & Opere in longo phas est obrepere somnum. Hæretici autem nou fuerunt, quia non ex malitia errarunt, sed ex parum diligenti historiæ Euangelicæ obseruatione. Quod in rebus fidei, quas sub periculo salutis æternæ scire, aut credere tenemur, nunquam illis
euenire

euenire solet. In his enim concordes omnes, vnanimésque sunt. Sed cum magnis nos extendentes inneribus, huius disputationis tandē perfecerimus cursum, restat iam huic coronidem imponamus operi, quas ex eo retinere mente debeat lector conclusiones breuibus perstringentes. Concludimus itaque primo, quod cùm diuina virum hunc elegerit sapientia, qui matris redemptoris custos esset, & cui altissima incarnationis filij Dei committerentur mysteria, quæ tum ne Angeli quidem cognouerant adhuc: soleat autē Deus, vt ait D. Thomas in 3. parte summæ, q. 27. art. 4. quos ad aliquod elegit munus, ita præparare & disponere, vt ad illud inueniantur idonei, Vnde ait Paulus, Idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Nihil in Iosepho defuisse credendū est, quod ad suauissimam finis assecutionē, propter quem electus est, requirebatur. Si enim secundū Iurisconsultum, sacrilegij crimē est dubitare, an is quē princeps ad aliquod elegerit officium, dignus eo sit, multò grauius fuerit crimē, de diuina id dubitasse sapiētia. Cum itaque eligeretur Ioseph, vt beatissimæ virginis, & pueri Iesu custos esset, vt filij Dei officio pater & esset & diceretur, matrisque eius coniunx, & sponsus, vt Spiritus sancti sponsæ, curā habe-

ret, vt in sua domo cum cœli cohabitaret regina, illius socius esset & gubernator. Cum electum cõsidero, vt in eius domo arca noui requiesceret testamenti, cum pretiosissimo Manna & pane cœlesti Sacramẽ corporis Cristi, in animũ inducere nõ possum, quicquã huic defuisse, quin in omni genere virtutum perfectissimus fuerit, matrique Dei in omni puritate, sanctitate, & castitate quamsimillimus. Quare & semper virginem fuisse illum credere cogor. Qui enim aliàs suauis inter perfectissimam virginẽ, & nõ virginem coalescere societas potuisset? Quàm fuerit fidelis & prudens vel ex eo cogita, quòd dominus super charissimam quam vnquam hoc in mundo familiam habuit, constituere eum dignatus est. Is enim, de quo pater dicit, Hic est filius dilectus, in quo mihi complacui, huius committitur curę. Illa qua sanctiorem nullam vnquam tulit mundus, qua chariorem nullam vnquam habuit Deus, huius viri à Deo fidei concreditur. Et adhuc vile quid de eo existimabis, aut quicquam illi defuisse putabis, quod ad summam exigitur sanctitatem. Hic dico dignus erat, qui etiam totius mũdi curam haberet. Considero hunc Dei filio charum & dilectum, huic Dei filium subditũ fuisse, hunc matrem Dei tener-
rime

rime dilexisse, vt sponsum agnouisse, coluisseque vt Dominum: & nihil me de illo plusquam de cæteris cogitare sanctis credere permittes? Hic fide superasse vel saltē æquasse patrem suum Abraham asserere cogor, dum leui monitum somnio, in spem contra spem credidisse illum considero. Neque enim minus fidem spémque omnem superat, ex virgine quemquam nasci, quàm ex lapidibus filios suscitari Abrahæ. Laudatur Moyses eo quòd cum Deo, ex rubo vel nube illi loquenti, aliquoties facie ad faciem, vti amicus cum amico, colloquutus fuerit. Quanta ergo maiori dignus est Ioseph noster laude, qui non semel tantùm aut iterum, sed toties, sed quotidie, sed tot per annos, facie ad faciem Deum vidit hominem factum, cum eo familiariter loquutus est, & conuersatus, non solùm vt amicus cum amico, sed vt pater cum charo filio? Laudatur Moses quod Deo aliquādo velut præcepisse legitur, cum ab eo irascendi in populum suum veniam petere visus est, dicens, Dimitte me, vt irascatur furor meus in populum istum, & faciam te crescere in gentem magnam. At Ioseph nostri mandatis, cœli terræque creator Dei filius, per multos subditus obediensque annos fuit. De illo namque dicitur, Et erat subditus

subditus eis. Ab hoc, vt bonus filius à patre, sæpius veniam aliquid faciendi petere Deus visus fuit. Laudantur à Diuo Paulo antiqui patres hospitalitatis suæ ratione, quòd tam grata Deo fuerit vt etiam, qui angelos hospitio recipere mererentur, digni facti fuerint. At quanto magis laudandus noster est Ioseph, qui angelorum creatorem, Dominúmque, sua per tot annos in domo hospitem videre, habereque meruit. Et si apud Deum optimum Max. sacra sunt & inuiolabilia hospitalitatis iura vti, etiam Ethnici crediderе, quanta apud hospitem suum Christum posse beatum nunc Ioseph credendum, asserendúmque est? Quondam Cicero Cæsarē pro Deiotaro orans, per dexteram obtestabatur illum, quam hospes hospiti porrexerat, viro parceret, & obtinuit. Quanto arbitraris efficacior fuerit apud Christum oratio, fiducia hospitij huius facta, quod vetus Christo cum beato Iosepho intercessit & fuit? Laudatur patriarcha Ioseph à castitate & continentia, eo quod sollicitanti ad stuprum dominæ, ne cum vitæ quidem & honoris periculo, consentire vnquam voluerit. At quanto magis noster laudandus Ioseph, qui cum virgine coniuge, perpetuam coluit, seruauitque virginitatem? Commendatur ille, salua

salutorisque mundi sibi nomen acquisiuit, eo quod prudentia, prouidentiaque sua, ne mũdus fame periret cauit, frumenta in horreis suis diligenter asseruans. Nonne magis commendandus Ioseph hic noster, qui verum frumentum, verum vitæ panem, qui totius famem depulit mundi, sua pet tot annos diligentissime fidelissiméque seruauit in domo? Celebratur Diuus Ioannes quòd ad præcursoris Baptistæque Christi munus electus à Deo, illius vel semel tetigerit verticẽ, & nõ virum hunc illi prætulerimus, qui filij sui officio patet à Deo designatus, toties Deum puerum gestauit in brachiis, manu conduxit, fouit in gremio? Quanta cura filiis suis pędagogos & custodes prudentes seligunt patres, & non credes vel eadem saltem visum Deum in hoc eligendo viro prudentia, cui filij sui dilecti, nutriendi, educandi, seruandique cõ mitteret curam? Quanta quæso maiestas est, illius gerere curam, qui omnium curam habet? Laudatur Martha quòd circa frequens Christi satageret ministerium, illúmque aliquoties exceperit cõuiuio. Quid de viro hoc dicturus es, qui lectum, qui cibum, qui mensam, qui vestes Christo per tot parauit dies, menses & annos? Glotiantur Apostoli quòd comederint, & biberint cum verbo vitæ; il-

ludque contrectauerint manibus suis, quod fuit ab initio, & per quod omnia sumpsere initiũ. At quanto iustius de hoc noster gloriabitur Ioseph, qui toties Christum portauit in manibus, contrectauit, palpauitque verbũ vitæ, nec solum cũ eo comedit, sed illi quod comederet parauit & apposuit? Quotquot celebrat antiquitas sanctos, serui omnes dicti fuere, & ministri Christi. Hic autem pater dictus est illius. Omnes subditi fuere Christi, huic subditus Christus fuit. Cui autem Angelorum aut Archangelorum dixit aliquãdo Deus, Pater meus es tu: aut cui Angelorum subditus vnquã Deus fuit? Ego & pater tuus, dicebat beata Virgo filio suo, dolentes quærebamus te. An filius patrem vocare dedignabitur suum, quem sic sua vocat mater? Per omnia enim fratribus suis hominibus similis Christus, vt ait Apostolus, peccato dempto, factus est. Honorabat ergo patrem, & matrem, illisque obediebat, vt vnus de reliquo populo puer. O te fœlicem beate Ioseph, cui datum est, quod nulli vnquam hominum concessum est, aut Angelorum. Beati oculi tui, qui vident & viderunt, quod multi reges & prophetæ videre voluerũt, & non viderunt. Voluisti videre, & vidisti. O quanta tu, erat consolatio cum puerum Iesum in tua

tuas accipiebas vlnas, dulciáque illi figebas oſcula? Hunc Symeon propheta vt videret, importunis à Deo precibus mortem differri ſuam, inuita impetrauit repugnantéque natura, & cum in vlnas accepiſſet puerum, tanta repletus fuit lætitia, vt mori poſtea dulce illi eſſet, qui vitam tenuerat in manibus. Quæ ergo lingua dicere ſufficeret, quot, quantis, & quàm inenarrabilibus expletus eras conſolationibus, qui illius quotidie copiam habebas, quem ſemel tantum vidiſſe, ſeni illi ſancto conceſſum fuit? Quàm arbitraris magno Deus pater, hunc vicepatrem filij ſui dignatus eſt in cœlis honore? Audi Chriſtum dicentem, Si quis inquit, mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus, qui eſt in cœlis. At quis vnquam Chriſto poſt beatã eius matrẽ miniſtrauit tantùm, & ſeruiuit, quantum hic fidelis eius ſeruus & prudens, quem conſtituerat Deus ſuper chariſſimam familiam ſuam? Et ſi iuxta proprium laborẽ mercedem accipiet vnuſquiſque & honorem, ad quantum exiſtimandum eſt honorem hunc ſuum vicepatrem euexit Chriſtus in cœlis? Hunc itaque debito veneremur in terris honore, quem Deus pater honorificat in cœlis, quem Deus filius vt patrem, vt hoſpitem agnouit in terris, honorat in cœlis, quem eius

mater vbique veneratur vt maritum. Neque vanus nobis fuerit, aut inutilis, quo illum co luerimus honor, qua veneratì cum fuerimus deuotio. Si serui, & amici multa apud Deum possunt, eorúmq; Deus voluntatē facit, quanta hic vt patet, quāta vt fidus charúsque poterit hospes? Quanta ergo cum fiducia, oratoris Romani verbis dicere Christo potero, Per dexteram te Christe obtestor illam, quam ho spes quōdam hospiti porrexisti Iosepho, mea mihi cōdones peccata, gratię tuę recipias sub alas, méque hospitis tui chari indignum licet seruulum, protectionis tuæ digneris beneficio. Tu autē beate Ioseph, beate Christi pater, beatæ matris eius virginalis coniunx, me honoris tui zelatorē, & propugnatorem, filio hospitiq; tuo, tuęque charę cōmendato coniugi, & munusculum hoc lucubrationis huius, quod tibi pauper offert amicus, immo vero deditìtius seruus, placido benignóq; accipito vultu, & contra Zoilum, aliósque quoscunque æmulos, & aduersarios defendito.

Hæc paucis in beati Iosephi encomiū effusa hic voluimus. Ad insaniam enim quasi me cogunt laudum eius aduersarij, cum tam difficiles eos video ad magnum quid de eo sentiendum. Et certè quid eos detineat non video, nisi sit socors quædam, & crassa diui-

narum

narum rerum ignorantia, & exile nimis, quod de illis habent iudiciũ. Quid quæso de illius viri æstimandum est cõtinentia, qui cùm virgine cõiuge castitatẽ, virginitatẽmque profitetur. Non negas enim tu Christiane, etiã si Eluidianus esses, quin saltem à nuptiis ad partum vsque solus cum sola habitãs Ioseph adolescentula, ab ea abstinuerit. Si suscipiẽdę prolis gratia initum matrimoniũ fuisset, tandiu ne eam nõ cognouisset. Hic nisi vota intercessissent virginitatis, & inter vtrũque coniugem pacta, nihil inueniri tale potuisset vnquam. Neque velim existimes, ignorãte, inuito, vel non consentiente Ioseph, quicquã hic factũ fuisse. Spõtanea fuêre Ioseph, ita atque virginis vota. Carnalis hominum mens, licet diuinitus factum tale cõiugium audiat, nunquam supra se erigitur, vt dignas diuinitate cogitationes de singulari hoc habeat mysterio. His consuluerim personã parumper induãt Dei, & quid, si Deus fuissent, facturi fuerant, apud se reputẽt, quatenus nihil Deo indignum factũ hic existimẽt, aut vel cogitent. Sed de his satis. Ex vtraque autẽ tum eius quę de sponsę, tum illius, quæ de sponsi perpetua habita est virginitate disputatio, quę sequuntur cõsideranda proiicimus, proponimusq;. Primum obseruandum est quãtę puritatis &

sanctitatis homines elegerit Deus, per quos eius filius ingrederetur in mundū, vel ingressō familiari illi seruirent ministerio, aut conuersationis vterentur consuetudine. Videte quàm sit grata Deo virginitas ex voto facta. Non voluit Dei verbum homo fieri donec, inuēta est inter mulieres adolescentula, quæ virginitatis voto diuinis se consecrasset vsibus, virqi similis illi propositi. Vnde & cœlibes dicti sunt, quasi cœlo beati, quia in terris positi cœlestiū sunt imitatores. In carne enim præter carnem viuere angelicū est non humanum. Videte etiam quanta in iis exigitur puritas & mundicies, abstinentiáque nō solum ab illicitis, sed ab aliàs licitis, qui Christi sunt corpus tractaturi, illiúsque cōsecrandi, & aliis distribuendi, ministri designati sunt. Videte quoque quàm rationabili de causa institutus est à Deo in Ecclesia Christiana, sacerdotum cœlibatus & cōtinentia. Videte quāta sit, & quā inuiolabilis votorū religio, & obligatio, quādoquidem ne violetur virginitatis votū, voluit Deus contra naturā, & repugnante natura ex virgine nasci: quādoquidem naturæ maluit prętergredi leges, quàm in diuina & sacra votorū impingere iura. Noluit talis trāsgrediēdi voti, vllū in Ecclesia sua relinquere exemplū, ne sacrilegis suis, incestuosisq; matrimo

trimoniis, futuris vllū tēporibus patrociniū habere heretici possent. Videre quoque est, quàm se obligatam voto cognosceret virgo beata, quæ ideo impossibile sibi esse cognoscere virum angelo asserebat. Oportuit antequā consentiret matrem fieri Domini, ostenderet angelus id citra virginitatis illius futurum detrimentum, aliàs nunquam erat consensura, nunquā angeli verbis assensum præbitura, licet à Deo, licet ex cælo missus esset. Nam etiam si angelus de cælo euangelizaret, emissum virginitatis votū nō esse seruandū, anathema esset. Væ ergo tu omnium hominum miserrimus, scelestissimúsque es ô Luthere, qui sacratis Deo virginibus sacrilegorum connubiorum pessimus consultor, persuasórque es. Non è cœlo non à Deo, sed ex inferno, sed à diabolo, pestifera ista, epicuréaque doctrina processit. Vah qui sacra Dei destruis templa, quæ sancta esse debebant spiritu & corpore. Vos autem sacræ Dei virgines, charę Christi sponsę, Marię potius imitemini exēplum. Estote constantes, state promissis, fidem seruate Deo, vt non damnationem, sed vitā consequamini, quam Deus daturus est iis, qui fidem non mutant ab eo. Quā nobis omnibus concedere dignetur. Amen.

AD LECTOREM.



VI sequitur de sancto Ioseph sermo, ex nocturnis meditationibus nostris excerptus est, quas post lecta in matutinis precibus ista Angeli verba, Ioseph fili David noli timere accipere Mariam coniugem tuam, dum me profundius in ea insinuarem, concipere, datum à Deo nobis diebus istis fuit, quibus libri de perpetua Mariæ & Ioseph virginitate, editioni incumbebamus. Has cum in schedas effudissemus, & deinde relegeremus, ne mihi perirent, in sermonis formam redactas, dicto libro addendas existimavimus. Nam etiam ex earum lectione in Ioseph admirationem attentum lectorem excitandum esse existimo. Certè devotis illius servis gratus sermo iste erit. Eum quoque Lector, ne te ergo legere pigeat. Et vale in Christo.

DE

DE EO QVOD IOSEPH OCCVLTE CONIVGEM Mariam dimittere voluit, & de ipsius Ioseph laudibus Homilia.

Quæritur cur occultè dimittere coniugem suam Ioseph voluerit?



VI aliquid clam altero facere meditatur, timere eum illum offendere, cui id occultatum cupit, indicat. Ioseph coniugem grauidam videbat, quam nunquam cognouerat. Nónne potius Maria meditari fugam, & clam marito fugere debuisset? Nónne illa magis maritũ timeret, quàm maritus illam, æquum erat? Annon vbi deprehensam se grauidam sensit, à marito sibi cauere, ne eam ex zelotypia occideret, vel populo lapidandam exponeret, meritò debuisset? Quid est quod hic maritus timet, qui nullam habet culpam, qui Mariam nõ offendit? Magnam profectò, de ea existimationẽ habuisse eum oportet, quam offendisse timuit. Si de coniugibus his iudicare, vti de cæteris faceres, velis, quid stultius, vel incredibilius dicere Euãgelista poterat, quàm maritum vxorem grauidam, nunquàm à se cognitam timuisse, ab eáque fugere occultè

voluisse, quasi ipse eam non illa eum offendisset, cum in hac causa, vxor potius dicenda erat timuisse maritum, ab eoque fugere occultè voluisse? De Maria enim scribendum erat, si humano de istis loquamur more, cùm grauida deprehensa esset, neque amplius coniugis oculos latere posset, quod tum occultè maritum dimittere voluerit. Hoc de ea facilè creditum fuisset, imo mirum est quod non fugerit, non se occultauerit, non dimiserit virum occultè, vt vitae se periculo subduceret. Sed quid? Hoc argumento est Mariam certo sciuisse virum suum nullam malam, de ea habuisse opinionem, neque de illius dubitasse castitate, etiam si grauidam videret, sed firmiter credidisse, innocentem illam esse, & ideo Maria non fugiebat, non sibi à viro timebat, sed econtrà vir timebat Mariam, & fugere meditabatur occultè. Si credidisset adulteram, an timuisset offendere ingratissimam sua opinione, coniugem & sibi infidelissimam? An tantam patienter tulisset iniuriam? Certè istud occultè velle dimittere eam, magna indicat mysteria, multum Ioseph coniugis nimirum detulisse virtuti, atque in maxima illum habuisse eam opinione. Ad haec bene intelligenda, consideremus oportet magnam admodum fuisse

fuisse Iosephi fidem. Quod nos ne Dei credamus verbis impedit est, quod vix aliquid magni de Deo credere volumus, vel illum plus posse, quàm rerum natura patitur. Ideo qui Deo aliquid secundum naturam incredibile dicenti statim credit, maxime gratus, atque acceptus illi est. Hinc tàrum Deo placuit Abrahā, Isaac, & Iacob, & similes promptè ei in difficilibus credentes, displicuère autem Moyses, Aaron, Zacharias, quia non statim credidere Deo. Cogitato quæso tecum attētius quantæ fuerit fidei Ioseph: certè inuenies vix cuiusquam cum illius comparandā esse fidem. Magna fuit, quæ magna de Deo credidit, magna, quia constanter & perseueranter credidit, magna, quia magna ex ea sequuta sunt opera, magna, quia inter innumeras tentationes semper firma perstitit & perseuerauit. Quæ tentatio, videre vxorem grauidam non à se cognitam? Quàm difficile creditu, quod sine virili complexu grauida facta esset. Et quantum quæso tentatio hæc durauit? Quandiu vixit ex ipsa rei qualitate tentatio hæc durauit, tentationis materiam atque occasionem habuit.

Iubebatur fugere in Aegyptum, statim à partu virginis, & puerum secū tollere, cuius cunæ & vagitus quantum hominem osten-

debant, tantum Deum abſcondebant. Qui factum eſt, vt tantam curã filij haberet, quem ſciebat non eſſe ſuum, tot pro eo labores, tot pericula ſubiret, tot pro eo pateretur, tantum illi timeret? An non ſi adulteram credidiſſet, non gratũ illi fuiſſet adulteri filium ad mortem à rege queri? Nónne Herodi illum libenter prodidiſſet? Rurſum, an non tentabatur ad credendum non eum Dei eſſe filium, qui ſic hominem fugere iubebatur? Rurſum videre vagientem in cunis, videre infantium cæterorum more, viuere puerum Chriſtum, nihílque in eo magni cerni aut apparere, vnde filius Dei credi aut agnoſci poſſet, ídque per multos annos, an non maxima fidei eius tentationis materia erat? Nõne prçterea multum fuit ſemper in hac perſeueraſſe fide, & cum tot laboribus, & periculis ſeruiſſe Chriſto? Abrahæ tẽtatio illa qua filiũ immolare iubebatur, tres tantum dies durauit, hçc ad minus duodecim annos.

Quot præterea opera bona produxit hæc eius fides, quæ matri pueri ipſíque puero fecit? Vnde tanta alieni filij cura? Vide quçſo quàm facilè credidit. In ſomnis loquitur illi Angelus, & ſtatim credidit Mariam virginem concepiſſe. Zachariæ ſacerdoti vigilanti, & in templo oranti apparet Angelus, futuram

filij

filij miraculosam annuncians conceptionem. Non credidit Angelo, mutitate ob incredulitatem punitur. Dormienti non vigilanti, in lecto, non in templo oranti, loquitur Angelus, & statim Iosephus credit. Qui fieri poterat, vt ita cito crederet, nisi antea Mariam innocentem, virginémque credidisset? Nónne suspiciosus maritus hic dixisset, Somnia ne cures, nam mens humana, quod optat, dum vigilat sperat, in somnis cernit idipsum, illusionémque dæmonum apparitionem istam fuisse existimasset? Quòd autem fides hæc per dilectionem formata & operata fuerit, ex eo facile colliges, si tecum tepures quantum puerum, quantum eius matrem amauerit, dilexerit, quibus tam diligenter tot annos sine vllo præmio præsenti, omni abdicata voluptate seruiuit. Christus inquantū homo, post matrem nulli plusquam huic tenebatur, quem sciebat sui curam, & suæ matris tot annos habuisse, licet certo sciret ipsum, non esse filium suum, eiúsque matrem, quoad vsum, non esse coniugem suam. Nihil matri debebat consueto hominum more loquendo, nihil eius filio. Imo si humano more de cōiugibus istis atq; de Christo puero loquamur, plus Christus Iosepho, quam matri debebat, qui licet certo sciret

sciret nec matrem de facto coniugem suam esse, nec puerum filium suum, vtriusque tamen tantam curam habet, acsi sui essent filius & eius mater. Nihil autem Christo, nihil eius matri, vti dixi, debebat, ambos autem magnis in eos collatis obsequiis & officiis, sibi demeruit & deuinxit. Sed dices, At sciebat illum esse filium Dei. Fateor: hoc est quò te ducere volebam, quod ex te extorquere hac disputatione conabar. Nam hoc ad fidei eius laudē spectat & testimonium, quoniam dum vnicæ tantū & nocturnæ angeli apparitioni, ex Spiritu sancto conceptū Christum credidit, in hac fide perseuerans, semper cum Maria mãsit, sempérq; illi, vt dominæ suæ, & filio eius seruiuit. Quàm sanctè superbire & gloriari Ioseph poterat, cum se ex totius mundi hominibus ad nutriendum Dei filium, electum videbat & secum reputabat.

Quanta contentione ambiunt hodie homines, regis alicuius filij nutritios esse. Quantum gloriantur illi, quibus id honoris à rege defertur, quantúue se faciunt. Hinc coniice, quid de Iosephi gloria sentiendum est & dignitate. Rursum & istud diligenter attende, cum reges filiis suis maximè primogenitis & vnicis, nutrices quærūt & nutritios, quàm magno vtantur consilio & diligentia

ligentia ad quærendum tales qui bonæ sint cōditionis, bonorum morū, bene nati, bene morati. Hinc conijce eum Deus ex tot hominibus, quos mundus habebat, vt primogeniti & vnici filij sui nutritius esset, hunc elegit, quantum, & quàm magnum sanctitatis, virtutis, prudentiæ, fidei, continentiæ ipsius Ioseph, testimonium id sit & argumentum? Hoc, qui apud se considerarit attentius, maximam profectò de ipsius virtute habiturus est opinionem, imo firmissimè maxima quæque de illo credet & asseret. Vide filij regum pro suis quanta nutritijs faciant & nutricibus, & quanta apud eos pro suis possunt amicis impetrare. Non credas Christum vnquā obliuioni daturum quātum Iosephus pro eo laboris sustinuerit, quantum illi debeat. Atque ideo multa pro eo & fecit semper olim, & in illius gratiam, deuotis eius facere paratus æternùm erit. Leoni Christus comparatur inter cætera, propter animi generositatem & nobilitatem. Leone nihil magis est gratum & memor, nihil quod acceptum beneficium maiori cum diligentia & animi gratitudine repēdat. De Leone, de tribu Iuda non est quod dubites, quin maiori sit generositate, quàm ferox istud animal, quod illius est figura, præditus. Quamobrem

rem perpetua apud eum susceptorum à Ioseph obsequiorum, memoria perseuerat,& cum perenni memoria constans quoque, atque perpetua, non dicam paria, sed infinita,vti & liberalitas atque generositas eius infinita fuut,refereodi. O beatum ergo virũ hunc, cui contigit talis filij esse nutritium, patrem dici. O beatos eos quos iste dilexerit, quos sub sua susceperit sanctus iste protectione. Nam hunc Mariæ filius, imo hunc Dei filius nihil illi negans honorat. Hunc si cæteris prioris ætatis comparaueris sanctis eos cum omnes superasse,vel certè æquiparasse comperies. Cuius castitatẽ cum huius virginitate contuleris & continentia? Hic per tot annos iuuenis cum adolescentula, solus cum sola viuens, virginitatem seruauit. An nõ Angelum, hunc potius fuisse dixeris quàm hominem? Hunc cõstantissimis contulero martyribus, qui inter tot labores, & mortis pericula, constantem Christo fidem seruans, multa pro eo, & cum eo passus est. Qui compassus est, & socius passionum, tentationum,& periculorum Christi fuit, annoo & cum eo regnaturus & cooglorificandus erat? Sicut socij passionum estis, ita exitus & consolationum, si compatimur & conregnabimus, inquit Paulus Apostolus. Hinc conice

coniice quanta sit eius in cœlis consolatio, quanta gloria, quàm amplum regnum. Neque enim tantam reges iis, qui sibi iam regnantibus & glorificatis seruiunt, gratiam habent, atque iis, qui illis in minoribus constitutis, cùm nulla futuræ spes appareret gloriæ regni, seruiêre ac fideliter constantérque adhæsere. Quod martyres pro Christo iam regnante, passi sunt, laudem quidem magnam merentur, sed maiorem noster Ioseph, qui pro Christo puero, nulla futuri regni in se adhuc signa habenti, tanta pati & subire pericula, tanto cum amore & constantia voluit.

Martyrem fuisse virginem Mariam, licet sanguinem pro Christo non fuderit, omnes asserunt doctores, eo quòd gladiis doloris pro Christo transfixam animam sæpius habuit. Certè & Ioseph similibus doloris gladiis ob Christum transfossus cor pluries fuit. Audi matris eius super hoc testimonium. Ego (inquiebat ipsa Christo per tres dies amisso) & pater tuus dolentes quærebamus te. Dolebat Ioseph de puero Christo amisso, ex vno dolore quanti & quot cæteri fuerint iudicato. Tenerrimè puerum diligebat, cum quidquam illum pati cerneret, statum compasionis gladio cor eius discrutia-

batur

batur transfodiebatur, adeo vt quicquid Christus afflictionis pateretur, in se, ex compassione Iosephus reciperet, cũ eo pateretur. Martyr ergo fuit, quia cum Christo, & pro Christo passus est. Dices, sed nõ effudit sanguinem pro Christo. Respondeo id me clam esse, at voluntatem ad hoc faciendum habuisse illum promptam, paratus semper millies mori prius quàm Christus quicquam vitæ discriminis subiret, constanter asserero. Sed hic notandum est, Christi amicos & deuotos, qui illo mortem in cruce patiente presentes adfuere, & compassionis gladiis ex eius passione corda vulnerabantur, atque transfodiebãtur, sine proprij postea sanguinis effusione mortuos esse: eorum autem, qui calicem tunc bibere Christi, eius assistendo morti noluerunt, sine cæde & sanguine aut sicca morte nullus è viuis excessit. Quare Apostolorũ sicca morte nullum, Diuo Ioanne Euangelista dempto, occubuisse legimus. At qui eius adfuere morti, vti beata virgo eius mater, Maria Magdalena, Ioannes Euangelista, beata Martha, sine cæde & sanguine, in pace obiere mortem. Quod enim simul cum Christo per dolores passi sunt cõpassionis, pro calice reputatum illis passionis fuit mortéque cruenta. Idem de nostro dixerim

rim Ioſepho, qui cum Chriſto quamplurima paſſus eſt, vti multorum exilium in Aegypto annorum, & non paucas in dicto exilio afflictiones & egeſtates. Quoties quippe Chriſto aliquid deerat, affligebatur, diſcrutiebatur, angebatur animo. Et ideo ſi hæc illi à Chriſto pro martyrio reputentur, mirũ non eſt, ſi Eccleſia eos, qui pro fide in exilio mortui ſunt, in martyrum numero reponit & reueretur. Abraham laudatur, quòd Deo iubenti de domo egrederetur & cognatione ſua, ſtatim obedierit, & in alienas terras peregrinatum abierit. Non minus profectò laudandus Ioſeph, qui in Aegyptum Angelo iubente, per multa rerum diſcrimina, ſtatim nullas nectendo moras, noctu fugit, & peregrinatus eſt. Sed in immenſum noſtra creſceret oratio, ſi quæ de illo dici verè poſſunt, omnia perſequerer & exponere vellem. Vnde ſi ex tam paucis, quæ de eo in Euangelio ſcripta ſunt, tantã dicendi & eum laudandi materiã habemus, quanto maiorem habituri eramus, ſi quę Chriſto exhibuit obſequia, omnia quę pro eo paſſus, & omnia quæ dixit & fecit, ſcripta haberemus, aut ſi ipſius cum beata Virgine ſanctiſsimam conuerſationem quiſpiam ſcripſiſſet, & poſterorum memoriæ diuina amborum colloquia cõſecraſſet. Quan-

r.

ta tum, quæso, & quàm ampla dicendi de eo materia fuisset, quanta seges? Quid si à pueritia, ad nuptias vsque virginis, integram vitæ illius haberemus historiam? Non dubites, cum Deus ex alto suos in hunc conieciit oculos, vt eum filij sui eligeret nutritium, quia magna tum vitæ sanctitate pollebat, quin Deo inter omnes quotquot tum mundus viros habuit, gratissimus esset, magnámque in eius oculis gratiam inuenerit. Magna, quę illi communicanda erant regis regum Sacramenta, chara Deo pignora, quæ illius committenda curæ & fidei erant, vt nihil exile de eo cogitemus, sed maxima & præclarissima quæque faciunt. Hæc inter cætera virginitatem, & perfectissimæ castitatis puritatem, in eo floruisse arguunt, idque credere attentum diuinarum rerum æstimatorem cogunt. Sed hæc de eo nunc dicta sufficiant. Ex nostro de perpetua Mariæ & Iosephi virginitate libro, qui plura hac de re discere voluerit, petat licebit. Eos autem, qui ista legerint, maiori de cætero in honore & deuotione sanctum hunc habeant, rogatos velim, méque & seipsos illius precibus commendent. Vtilissimum enim hoc nobis fuerit. Qui autem hunc cōtempserint, contemnentur & ipsi à Christo. Qui quod minimo ex
seruis

seruis suis fit, sibi factum reputat, multo id magis sibi factum reputaturus est, quod vni ex maioribus & precipuis suis seruis & amicis, factum à nobis fuerit. Ideo qui sapit sibi caueat. O fœlices autem illos, qui Christum in hoc suo sancto, in hoc suo patre nutritio, & seruo fidelissimo atque charissimo glorificauerint, laudauerint, honorificauerint. Non dubium quin innumera à Deo beneficia, ob illius merita habituri impetraturique sint. Quàm vellem huius inter seruos me Christus in tremendo illo iudicij die dignosceret, atque eo pro me precante diceret rex optimus, Pro isto Iosephus orat, transfer hūc hœdum mihi, sit dexter agnus, induatur vellere, atque inter benedictos patris mei filios æternùm numeretur. Amen.

Amen.



HYPERASPISTES LIBRI REVEREND. PATRIS F. CHRISTOPHORI DE CAPITE-FONTIVM, De perpetua B. Mariæ & Ioseph eius sponsi virginitate, Dialogi forma conscriptus, qui quæ contineat sequens pagina demonstrabit.

AD LECTOREM.

SEquitur Dialogus, Hyperaspistes, id est, propugnator dictus, in quo author cur in aliquibus exponendis scripturæ locis, à communi in suo de B. Maria & Ioseph virginitate libro, opinione recesserit, & nonnullis vsus sit loquendi modis, quos aliqui Erasmianos falsò putant, rationē reddit. Hunc beneuole Lector, ne de prædictis temere ex ignorantia quicquam pronunciare te contingat, legas oportet. Et vale in Christo.

***

Qua

Quæ in hoc dialogo tractantur hæc sunt.

Longa & subtilis super his Patriarchæ Iacob verbis, Non auferetur sceptrũ de Iuda, donec &c. disputatio.

An in illis Christi verbis, Si quis venit ad me, & non odit vxorem, non potest meus esse discipulus, sacerdotum cœlibatus præscribatur.

An rectè dicatur, Deum quicquam contra naturam facere.

An sacram scripturam instrumentum vocare, Erasmianum sit, an verò ab antiquis ortum patribus habeat.

An Deum seruatorem vocare, prophana sit nouitas & Erasmianum, an verò sacra vetustas.

An Latinè dicatur, Abhorreo hanc rem, Non sufficio loqui, Fides persuasa est.

Interlocutores sunt, Doctor quidam Authoris amicus, & ipse Author, per literas D. A. significati.

DOCTOR.



TVVM de perpetua beatæ Mariæ, ac sponsi eius Ioseph virginitate librum, magna cum animi mei voluptate legi, relegi, & quid in eo reprehendendum à Censoribus foret (vti facerem rogatas) diligenter obseruaui: nunc autem, vt veri amici officio fungar, super iis te admoniturus accessi quæ hominũ repræ-

hensioni patere posse, animaduerti, sciens ob animi tui candorem, rem me tibi gratam esse facturum.

A. Nullo me sibi officio magis demereri amici possunt, quàm dum quid nostrus in libris correctione dignum compererint, libere mihi indicant, & exponunt. ideo pergas, amabo, quæ obseruasti, nullo præuio procemio aut excusatione, ne vllam temporis iacturam nos fecisse contingat, referre.

D. Primum, quod præclaram illam patriarchæ Iacob prophetiam, Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, alio in sensu, atque ab aliquammultis, tum antiquis, tum modernis Ecclesiæ doctoribus, aduersus Iudæos allegari soleat, interpretatus es, multorum piorum animos, statim vt id viderint offensurum est, maxime cum nullum vnquam ante te exposuisse sic illam existimem. In concilio autem Tridentino cautum sit, ne cui in rebus fidei & morum sacram scripturam ad suos sensus contorquendo, contra eum sensum quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, aut etiam contra vnanimem patrum consensum, interpretari integrum sit. Præterea à communi opinione recedis, quod non facile aut temere vnquam faciendum

faciendū est. Hæc obiecturi tibi sunt, tum pij multi, tum verò etiā &, si quos habes, æmuli. Verum equidē est, tales te rationes in mediū attulisse, quibus, meo iudicio, satisfacere difficile fuerit, quas cum euertere non posses, ad alium verborum patriarchæ & prophetæ sensum quærēdum, velut coactus, accessisse mihi videris. A. Ita plane res se habet, nam vt ingenuè fatear, nullum adhuc inuenire licuit, licet cum multis viris doctis, in Gallia, Hispania, Italia, Flandria, super his coetulerim & disputarim, qui quas rationes contra communem affero hic opinionem, soluere aut enodare potuerit. Nihil enim in medium afferebant, aduersus quod non statim quod exciperem occurreret, ita vt post longas disputationes, confessas mihi tandem manus extenderent, fassi non inuenire se vnde, aut qua via nodus hic explicari, aut allegatis per me rationibus satisfieri posset, neque tamen inuenire se, quo alio in sensu exponi deberent, aut possent. Cum autem à communi recedere opinione, in iis, quæ fidei, aut morum non sunt, tum iura permittant Ecclesiastica, cum pro contraria est textus, vel ratio, cui non potest à communi satis bene respondeti, vt patet per textum cum glos. & communi, in cap. Capellanus. de fe-

nis, coactum me fuisse (vti recte arbitratus es) fateor, ad nouam aliquam istis verbis excogitandam expositionem, aduersus quam nihil excipi posset, & dum diu multumque, noctes atque dies hoc saxum verso, verba prophetiæ ruminando, meditando, ponderando, velut vadum aliquod tentans, tandem de qua agitur, noua occurrit expositio, quam, ideo in medio positã volui, vt quid super ea, & tota quæstione, Doctores quique sentirẽt, audire quirẽ, interim dum quid de tota controuersia sancta mater Ecclesia Romana, cuius correctioni quæcunque dico: aut dixi, scribo aut scripsi, semper summitto, sentiendum sit, iudicauerit & diffinierit. Neque in hoc contra concilij Tridentini, quo nullum vnquã præclarius, aut absolutius in Ecclesia ab Apostolorum temporibus celebratũ fuisse crediderim, statutum fecisse me arbitror, quandoquidem non relatũ est adhuc ab Ecclesia, inter fidei decreta, verba ista prophetę, in eo exponenda sensu esse, in quo cõmuniter contra Iudæos allegantur, maximè cum sustineri sensus hic, absque eo, quod quamplurimis scripturæ sententiis & historiis manifesta vis inferatur, non possit. Tunc autem maximè, si vsquam alias, à cõmuni recedere scripturæ alicuius expositione licet, cum in
cont

contrariũ est manifestus scripturæ textus,quo cum dicta expositio cōciliari nequit, neque hoc est scripturas ad proprium eorum quære sensum,sed verũ & genuinum illarũ,per aliarum collisionē extorquere,& velut excutere sensum. D. Si communem expositionem prædictam alicui manifesto scripturæ textui cōtraire ostenderis & euiceris, nemo est,qui contra Concilium fecisse te, adictā opinione recedendo iudicauerit: quandoquidem prima & generalis Concilij intentio & decretum est,omnes scripturæ reiicere interpretationes,quæ alicui scripturarum sententiæ manifestè contradicunt. Restat ergo vt quā cōmunis opinio & interpretatio prædicta,manifestò alicui scripturæ textui contraria sit ostendas. Hoc si feceris, qui te hic ob nouitatem accusamus interpretationis,causa ceciderimus omnes. A. Ad hoc me opus accingo, propositiones quasdā meo more, velut fundamenta quædam præiacturus, ex quibus quod asserimus in consequentia necessaria sequatur. Propositiones autē istæ in duplici erunt differentia. Quædam enim aduersam opinionē sustinentibus, per obligatoriæ artis leges, vt suam opiniōnē tutentur, asserendeq; prorsus erunt. Reliquæ verò tales erunt, de quarum veritate vel per manifestam

ſcripturæ ſententiam, vel per euidentem rationem conſtabit.

Prima claſsis propoſitiones.

Per ſceptrum in dicta prophetia, regiam poteſtatem externam & viſibilem intelligendam eſſe. Hanc aſſerere habent quicunque communem opinionem ſequuntur. Dum enim ideò prophetiam iſtam completam affirmant, quòd regia dignitas à Iudæis ad Herodem alienigenam tranſlata erat cum Chriſtus natus eſt, clariſsimè oſtendunt, credere ſe per ſceptrum prædictum, ſimilem regiam intelligendam eſſe dignitatem, qualem tunc Herodes habebat, & qualem tum Iudæi amiſerant, & ab eis Romani abſtulerant. Præterea cum pro ſigno datur, ſignum aut ſit quid manifeſtum, in abſconditæ & incognitæ rei cognitionem nos ducens, de viſibili ſceptro & regno, hæc accipiât oportet, ſiquidem pro aduētus Chriſti ſigno, ſceptri ablationem ex Iuda, datam arbitrantur. Et certè vt plurimum Rabini omnes Iudæorum, maximè ij, qui Chriſtum præceſſerunt, per ſceptrum prædictum, regiam intellexerunt dignitatem. Quod & omnino ſic exponendum eſſe exiſtimo.

Hoc statim ab initio annotatum hic oportuit, vt eorũ errorem reiicias, qui cum rationes quas in nostro prædicto libro, contra communem opinionem adduximus, soluere nequirent, ad Sanhedrim, vt vocant, id est, quendam sapientum senatum confugiunt, ex Tamuldicis Cabalistarum fabulis confictũ, in quo semper aiunt aliquos ex tribu Iuda sedisse, quem etiam aiunt per sceptrum prædictum intelligendum esse, clarissimam de Christi regno prophetiam, Iudaicis fabularum tenebris obnubilando. Clarum autem est ex euangelio, nullum habuisse Iudæos senatum, à quo regerentur, & cui obedire tenerentur præter eum qui erat scribarum & Pharisæorum, de quibus Christus ait, Super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi quæque ergo dixerint vobis seruate & facite &c. Erant autem Scribæ & Pharisæi omnes vt arbitror, ex tribu Leui. Et hi in spiritualibus tantum regebant populum, in iis scilicet, quæ legis iudicia, & obseruationem concernebant, & post natum Christum, & multo tempore post eius mortem, magnam habuere in populo illo auctoritatem. Atque in nullo authentico, vt existimo, authore, reperire est, populum Iudaicum ab alio aliquo Sanhedrim iudicatum, aut gubernatum

tum fuisse. At in isto Sanhedrim, cum ex qualibet tribu aliqui esse Senatores possent, non poterat ad solam Iudæ tribum Sanhedrim istud appropriari. Sed ista, quæ de isto Sanhedrim dicuntur, cum nullam ex scriptura habeant auctoritatem, eadem facilitate reiiciuntur, qua & dicuntur. Quare ad reliquas ponendum propositiones, reuertamur.

II.

Omnes communis interpretationis prædictæ assertores, aduerbium, donec, in communiori sua significatione pro eo scilicet, quod est, vsquequo, hic accipi, sustinere tenentur, vt videlicet tempus denotat, ante quod aliquid fieri non debet. Vnde sequitur sic donec sumendo, huius prophetiæ exponentes, & æquipollentes sequentes propositiones esse.

Antequam venerit Christus, non auferetur sceptrum, id est dignitas regia, de Iuda, vel, quod idem est, nisi prius venerit Christus, vel ante Christi aduentum, non est auferenda potestas regia de tribu Iuda. Et ista, Vsque post Christi aduẽtum, non auferetur sceptrum de Iuda. Et nota prophetiæ sensum non esse, tum venturum Christum, cum de Iuda ablatum sceptrum esset, neque etiam tum cũ venisset, auferendũ statim sceptrum de

de Iuda esse. Neuter horum sensuum ex istis concipi, aut elici verbis potest, sed solum iste, Non auferendum ex Iuda sceptrum esse, nisi prius Christus venerit. Sic tamen à cōmuni allegantur opinione, quasi dictum sit, tunc venturum statim Christum, cum ablatum è Iuda sceptrum fuerit, aut postquam venerit, auferendum statim de Iuda sceptrum esse, quorum tamen neutrum ex verbis educi prophetæ, vlla ratione potest.

D. Subtiliter admodum in huius opinionis fundamenta inquiris. Certè non video, quem alium sensum ex istis eruere verbis quisquam possit, quàm quem supradictæ eorum continent æquipollentes, & expo-nentes propositiones. Sed tu cœptum prosequere opus.

SEQVVNTVR PROPOSITIOnes secundæ classis, quæ sunt ab omnibus concedendæ.

PRIMA PROPOSITIO.

Prophetiæ huius verba, ad solum Iudam, & eius posteros referri, & dirigi. Hoc enim clarissimè ex scripturæ contextu patet, filiorum Iacob vnius post alium particularem, & propriam

priam benedictionẽ describentis, & dicentis, ad filium suũ Iudam prædicta verba patrẽ Iacob dixisse, dum quid singulare in sua tribu euenturũ erat Spiritusancto afflatus, prædicebat. Et ideo Moyses post descriptas patriarchę benedictiones, sic suã narrationẽ conclu dit. Hæc locutus est eis pater suus, benedixitque singulis benedictionibus propriis. Vnde manifestè patet benedictionem hanc Iudæ illius propriam esse, nõ cæteris cõmunem tribubus. Præterea nulla verba hæc ratione, ad qoicquam de Christo probandum allegare quispiam posset, nisi ad solam Iudæ tribum dicta essent. Nam alias, statim atque quicquam de his contra Iudæos allegares, illud reiiceret, dicẽdo, sufficere in aliqua alia à tribu Iuda hæc quæ dicuntur impleri, & sic vis omnis huius prophetiæ prorsus euanesceret. Communis ideo opinio, cum tum, quando à Iudæis ad alienigenas translatum sceptrum & ablatum erat, Christum venire debuisse asserit, & non ante, huic scripturæ vim afferre videtur, cum sufficeret ad prophetiæ impletionem, ex tribu Iuda in aliam tribum ablatum regnum, vel translatum esse. Ideo si Dauidi in regno, quispiam ex Saulis posteris successisset, tum ablatum à Iuda sceptrum vllo absque dubio fuisset,

II.

Tempore Mosis, Aaron, Iosuæ, Iudæorum regimen in alia, à Iudæ tribu sine dubio fuit, itidem & tempore Iudicum.

III.

Ex scriptura clarissimè patet, nullum Iudæos habuisse regem vsque ad Saulem, qui de tribu erat Beniamin.

IIII.

Constat quoque primum ex tribu Iuda, qui Iudæorum sceptrum tenuit, & regali fuit honore insignitus, Dauid regem fuisse.

V.

Non ergo potuit ante Dauid regem, sceptrum è Iuda tolli, quādoquidem nullum positum antea in ea tribu regale sceptrum erat.

VI.

Manifestum ex scripturæ sacræ historia est, nullum vnquam de tribu Iuda, præter Dauidis posteros, regia ornatū dignitate fuisse.

VII.

Constat ex sacra scriptura Nabuchodonosor Babyloniorum regem, sceptrū ex tribu Iuda abstulisse, in captiuitatem omnibus de tribu Iuda principibus abductis, regnóq; priuatis.

VIII.

Nabuchodonosoris successores, & deinde Persarum

Perſarũ reges in Iudæa,& ſuper Iudæos per ſeptuaginta annos regnaſſe quoque conſtat, nullóſque eos, tẽpore captiuitatis prædictæ, duces, principes, aut reges habuiſſe. Hoc ex Danie. cap. 3. manifeſtè probatur, vbi Azarias Dei martyr, in Babylonica fornace orans, ſic inter cætera ait, Et non eſt in tempore hoc princeps,& dux,& propheta, neque holocauſtum, neque ſacrificiũ, neque oblatio, neque incenſum, neque locus primitiarum coram te, vt poſſimus inuenire miſericordiã tuam. Et Iudæorum Rabini illud Oſeę 3. Dies multos ſedebunt filij Iſrael, ſine rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, tunc impletum fuiſſe dicũt. Certè ad iſta Oſeę verba alludere Azarias, in ſua precatione videtur.

I X.

Poſt captiuitatem Babylonicã nullos habuêre Iudæi ex tribu Iuda reges, neque ex vlla alia ſua tribu, vſque ad Ariſtobulum. Nam vt 18. de ciuit. Dei cap. 45. Diuus Auguſt. teſtatur, ex illo tempore, illa gens multis cladibus afflicta eſt ab alienigenis regibus, ipſiſque Romanis. Non multò eam pòſt, adueniente Alexandro ſubiugata eſt: deinde Ptolomæus Lagi filius poſt Alexandri mortem, captiuos inde in Aegyptum tranſtulit, quos eius ſucceſſor Ptolomeus Philadelphus beniuo

beniuolentissimè inde dimisit, deinde cõmisi sunt bellis, quę in Machabæorum libris expli cãtur. Post hæc capti à rege Alexandriæ Ptolomęo, qui est appellatus Epiphanes, inde ab Antiocho rege Syriæ multis & grauissimis malis, ad idola colenda compulsi, templúmque ipsum repletum sacrilegis superstitionibus gentiũ, quod tamen dux eorum strenuissimus Iudas Antiochi ducibus pulsis, ab omni idolatriæ contaminatione mundauit. Non multò post Alchimus quidam, per ambitionem cum à genere sacerdotali alienus esset, quod nephas erat, pontifex factus est. Hinc iam post annos fermè 50. in quibus eis tamen pax non fuit (quamuis aliqua & prospere gesserint) primus apud eos Aristobulus assumpto diademate, & Rex & Pontifex factus est. Antea enim ex quo de Babylonica captiuitate reuersi sunt, templúmque instauratum est, non reges, sed duces, vel principes habuerunt, quãuis & qui rex est, possit dici princeps à principatu imperandi, & dux, eo quòd sit ductor exercitus, sed non continuò quicunque principes, vel duces sunt, etiam reges dici possunt, quod ille Aristobulus fuit. Cui successit Alexander, etiam ipse rex & pontifex. Post hunc vxor eius Alexandra regina fuit Iudæorum, ex cuius deinceps

tempore mala sunt eos grauiora sequuta. Filij quippe huius Alexandræ, Aristobulus & Hircanus, inter se de imperio dimicantes, vires aduersus Israeliticam gentem prouocauere Romanorum. Hircanus namque ab eis contra fratrem poposcit auxilium, Pompeius ergo Iudæam cum exercitu ingressus, ciuitatē capit, confirmatóque Hircani pontificatu, & subiugatæ genti posito custode Antipatro, quos tunc procuratores vocabant, vinctum secum Aristobulum ducit. Et ex illo die Iudæi, etiam tributarij Romanorum esse cœperunt. Postea Cassius etiam templum spoliauit, deinde post paucos annos etiam Herodem alienigenam regem habere meruerunt, quo regnante natus est Christus. Hæc omnia August. in dicto lib. & cap. Ex cuius verbis manifestè patet, nullos post captiuitatem Babylonicam reges de tribu Iuda Iudæorū gentem habuisse, & ideo tum ablatum ex illa tribu sceptrum fuisse, id est regiam dignitatem, de qua intelligendam esse dictam propheti Augustinus ipse fateatur oportet: quādoquidem eam aduersus Iudæos ad Christi ex eo probandum aduentum allegare soleat, quod Herodes alienigena Iudæorum ante Christū natum regnum vsurpauerat, & sic de Iuda ablatum sceptrum erat. De tali enim sceptro

loqui

loqui intelligatur oportet, quale tum Herodes habebat.

Notabis quoque non idem secundũ eum esse, regem esse, & principem vel ducem, quia licet omnis rex princeps sit & dux, non tamẽ sequitur quod omnis princeps vel dux, rex quoque sit. Inhærendo sensui, in quo propheta hæc cõmuniter allegatur contra Iudæos, oportuisset regiam dignitatem visibilem in tribu Iuda, vsque ad Herodis tẽpora durasse: neque duces aliquos aut principes tantũ, ex dicta tribu populum rexisse sufficeret. Ex Richardo de sancto Victore lib. 4. exceptionum, constat à captiuitate Babylonica summam rerum penes summos pontifices fuisse, quos cap. xj. dicti lib. ordine numerat, & describit qui fuerunt, qui sub regibus Persarum populum vsque ad Alexandri magni tẽpora regebant, quorum successores sub Alexandri successoribus regibus & ipsis alienigenis, quibus tributa pendebant, idem fecere.

Nota ex verbis Augustini sequi, ipsos Iudæos multos alienigenas reges ex tempore captiuitatis habuisse Babylonica, dum sub alienigenis regibus & Romanis, multis sæpius cladibus afflictos, eos fuisse asserit. Quis autem dubitare potest sub Antiocho rege per aliquot annos, sine vllo ex sua gente rege,

principe, duce eos fuisse? An non magis, tum ex Iuda ablatum sceptrum, quàm sub Herode fuit, sub quo nec sacrificium, nec summus pontificatus desiêre, nec Scribarum aut Pharisæorum sublata in totũ authoritas fuit? Sed de regni Iudæorum exterminio quomodo factum fuerit, audiamus quid historia scholastica dicat. Vbi enim quomodo Nabuzardam tribum Iuda in captiuitatem Babylonicã traduxisset, declarasset, subinfert; Hic fuit exitus regni Hebræorum. Et regnatũ est secundum Iosephum annis 514. mensibus 6. & diebus 10. secundum lib. Reg. verò non plenè 500. & fuerunt in eo Reges à Dauid 21. Et post pauca de morte Sedechiæ vltimi ex tribu Iuda regis agens, sic ait, In diebus Sedechiæ factum est exterminium regni Iudæorum, & exordiũ habuit sexta ætas. Ex 4. Reg. vltimo patet, reliquias tribus Iudæ quæ remanserant ad colendam terram, occiso Godolia illis à Nabuzardam præfecto, omnes à maximo vsque ad minimum in Aegyptum fugisse, & sic principatus Iuda euersus funditus fuit. Cum ergo expressissimè ex sacræ historiæ testimonio constet, tum regium sceptrum ex Iuda ablatum fuisse, si secundum eum sensum verba Prophetæ sumimus, in quo à cõmuniter ea allegantibus cõtra Iudæos adducuntur, ad osten

ostendendum, scilicet quia Iudæorum sceptrum Herodes rex alienigena teneret, ideo aduentus Christi venisse tempus: eadem certè ratione, & extincta sub Nabuchodonosor regia Iudę dignitate & funditus euersa, aduentus Christi tum venisse tempus dicendum esset. Si autem secundum sensum, quem prophetia ipsa secundum verborum rigorem, & literalem sensum habere videtur, acceperimus qui est, Non auferendum fuisse sceptrũ ex Iuda, donec veniret Christus, omnino dicendum est, Christum ante regni Iudæorum exterminium per Babylonios factũ, venisse debuisse, quod tamẽ nullus Christianus concesserit vnquam. Et mirum certè est, quomodo cum tot alienigenas reges post captiuitatem Babylonicã Iudæi habuerint, nullus eorum tempore natum fuisse Christum dicere ausi sint. Hic vellem post longam istam de regni Regum Iuda exterminio narrationem, qua ratione cõmunem opinionem sustinere soleant, in medium afferres. D. Sine dubio si per sceptrum regiam potestatẽ intelligendam esse sustinemus, talem scilicet, qualem Dauid, qualem Herodes habuere, quin communis opinio prorsus corruat fieri non potest. Neque enim post Sedechiam ad Christum vsque quenquam de tribu Iuda super

Iudæos regnasse comperimus. Sed aiunt, in captiuitate Babylonica duces eos habuisse & principes ex tribu Iuda, vt erant iudices illi, qui Susannam morti condemnarunt, & post captiuitatem Babylonicam habuisse quoque aliquos ex tribu Iuda duces, vti Zorobabelem & Esdram. A. Quod ad captiuitatem spectat Babylonicam, certum est ex superius probatis propositionibus, ea durante, nullos eos duces aut principes habuisse, vti ex Dan. 3. cap. constat, iudices autem illi, qui Susannam condemnarunt, non erant de tribu Iuda, vt ex verbis patet Danielis ad eos, & quando ex tribu Iuda eos fuisse probaretur, non tamen principes aut duces illos fuisse, consequeretur, quandoquidem annui tantum essent, singulisque annis mutarentur, principes autē aut duces nullos certè habebant. Sed quid in hoc refutando immoror, cum nullos ex Iuda habuisse eos reges, ad probandum ablatum ex Iuda sceptrum fuisse, ostendisse sufficeret. Meminisse artis obligatoriæ debent talia dicentes, ex cuius præceptis eodem in sensu sceptrum à nobis accipere tenentur, in quo id, dum aduersus Iudæos ad probandum Christi aduentum prophetiæ huius verba afferunt, accepisse conuincuntur. Sicut enim dum Romanis Iudæi
seruiebant

seruiebant, regem se, præter Cæsarem, nullum habere fatebantur, ita & dum Babylonus seruiebant, regem præter Babyloniorum regem, nullum se habere, dicere quoque debebant. Præterea inuisibiles & ignotos duces, quales fingunt habuisse Iudæos in Babylone, fingere quoq; & nos habuisse eos sub Romanis & Herode possumus, sub quibus benignius tractati legibus suis viuere, sub summis suis pontificibus permittebantur. Notandum vlterius est, ad propositionis copulatiuæ veritatem, oportere omnes eius partes simul veras esse, prophetia autem Iacob copulatiua est. Ait enim, Non auferetur sceptrũ de Iuda & dux de femore eius: nõ dixit, vel dux, vt esset propositio disiunctiua, ad cuius veritatem alteram partium veram esse ostendisse sufficeret. Hic autẽ simul iunguntur sceptrum & dux, oportet ergo vtrumque simul in Iuda inueniri, donec veniret Messias, ad sensus prædicti verborum prophetæ veritatem asserendam. Nam in scriptura, ne iota quidem, aut apex præteriri debet, tantum abest vt ex copulatiua disiunctiuam facere propositionẽ in ea interpretãda liceat, Maximè autem dum aduersus Iudæos vel hæreticos quippiam ex scriptura allegamus, cauendum omnino est, ne iota vnum, aut api-

cem præteremus, aut voculam vel propositionum scripturæ qualitatem, mutemus. Tum enim excipiendi aduersus allegatam scripturam occasionem illis præbemus.

D. Sed meminisse debes, ex Richardo allegasse te, rerũ summam inter Iudæos post Babylonicã captiuitatem, penes summos sacerdotes fuisse, ex quibus aliquot numerantur ex Machabæorum progenie, qui simul reges & pontifices fuere, vti Aristobulus Alexander, & vltimus regum Iudæorum, alter Aristobulus à Romanis postea captus: Christus autem ex vtraque, sacerdotali scilicet, & regia Iudę tribu originem trahit, sicut est rex & sacerdos in æternum, quia istæ tribus mixtæ fuere. Id ex eo patet, quòd Elizabeth, quæ ex filiabus erat Aaron, Mariæ matris Christi cognata fuit, vt patet ex Euangelio.

A. Hoc errorem errori addere est, contra expressum scripturæ sacræ testimonium. Nam Diuus Paulus expresse docet in epistola ad Hebræos, nullum de Christi tribu altario seruisse. Omnia autem Apostoli argumenta, quæ ad probandum Christum esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech & non secundum ordinem Aaron, facit & ad probandum translatum esse sacerdotium in Christo de tribu in tribum, nulla essent

essent, si id asserimus. Sic quippe de Christo scribit. In quo enim hæc dicuntur de alia tribu est, de qua nullus altario præsto fuit. Manifestum enim est, quod ex Iuda ortus sit Dominus noster, in qua tribu, nihil de sacerdotibus loquutus est Moyses, deinde non licebat cuiquam de vna tribu vxorem ex non sua tribu & cognatione ducere, vt patet Num. 36. Vnde cum antiqui doctores, adversariis Euangelij respondentes quærentibus, quomodo ad Christum generationis ordo pertineret, ad Ioseph non Mariam terminatus hoc se clypeo tutantur, consequens scilicet esse Mariam quoque ex tribu Dauid esse, quandoquidem lege cautū esset diuina, vt vnusquisque ex familia sua & cognatione vxorem duceret. Quæ responsio nulla est, si indifferenter, Christum ex sacerdotali & regia tribu, originem trahere diximus. Præterea Christus secundum ordinem Aaron, non secundum ordinem Melchisedech, sacerdos diceretur, si ex tribu Aaronica originem habet. Quod ad Mariam attinet, quæ Elizabeth filiam Aaron cognatam habuit, fieri potest vt Elizabeth mater, ex tribu Iuda fuerit. Mariam autem ex tribu Aaron fuisse, aut vllum eius auum, aut proauum asserere, error esset grauissimus, Quia ergo cum Pau-

lo, affirmare & tenere debemus, nullum de tribu Christi altario seruisse, consequens est errare eos, qui ex sacerdotali & Leuitica tribu, ortum quoque eum esse dicunt. Quare concludendum est, toto eo tempore, quo rerum Iudaicarum summa penes sacerdotes erat, ablatum ex tribu Iuda sceptrum fuisse, & cum Aristobulus & Alexander vel Alexandra regnarunt qui ex tribu sacerdotali erant, omnino fatendum est sceptrum, in alia tum quàm tribu Iuda fuisse. Ad probandum enim ablatú ex tribu Iuda sceptrum esse, id in aliqua alia ex tribubus Israel fuisse, ostendere sufficit. Nã siue ad alienigenas, siue ad aliquẽ aliú, qui de alia sit, quàm Iudæ tribu, sceptrũ translatum probetur, certe à Iuda ablatum quoque id esse, continuò sequitur. Nescio an aduersus ista quicquam afferri potest.

D. Nihil prorsus occurrit, quod aduersus tam clara excipere testimonia, & argumenta possem: quandoquidem ex clarissimis sacræ scripturæ fontibus hausta sint. Vnde mirari soleo, qui factú sit, vt tot patres vous post alterú verba prophetiæ huius, ad probandum Christum Herodis alienigenæ regis tẽpore nasci debuisse allegarint, cum tot ante eum alienigenas habuerint Iudæi reges, & tanto antè tempore ablatum ex tribu Iuda sceptrũ foret.

foret. Præterea cum huius prophetiæ sensus, accipiendo vocē, donec, in significatione sua communiori, prout ab eis accipitur, sit, non prius auferendum esse sceptrū de Iuda, quàm Christus venisset, cōstētque per 30. ad minus annos Herodem ante Christū natū regnasse, oporteret faterentur Christū prius venisse, & natū fuisse, quàm Herodes rex esset. Et ideo non amplius miror si aliū his verbis sensum quærere coactum te asseras, recedendo cum debiti honoris præfatione, à communi eorum opinione & expositione. A. Equidem si quenquam inuenire licuisset, qui hos mihi scrupulos eximere potuisset, libentiùs communem sequutus expositionem fuissem, quod faciendum semper est, cum textus aut ratio cui responderi nequit, in contrarium non reperitur. At cum hic tot scripturæ textus, tot rationes contra communem expositionem concurrant, ingenuè fateor, diutius me perplexum & anxium fuisse, atque hoc saxum versasse noctúque diúque, dum hinc me patrum trahit auctoritas, inde ratio transuersum atque inuitum aliò capit, donec tandem totum sui iuris effecit. Neque tamen omnino auctoritate patrum nostra expositio caret, aut destituta est. Quandoquidem Origenes Hom. postrema in Genesin,
quasi

quasi eodem modo exponi dictam prophetiam posse doceat, atque nos eam exposuimus, vti postea dicemus. D. Si vnum ex antiquis proferre potes, dictam prophetiam sic exponi posse asserentem, non dici poterit tua expositio, contra vnanimem patrum expositionem facta. Sed quibus tua expositio fundamentis innitatur, ex te intelligere vellem. Hoc enim in tua docendi methodo & disputandi more, mihi placet, quod solida semper fundamenta, quibus tuas assertiones superstruas, quærere te videam.

A. Id lubens effecero. Cum viderem hunc prophetiæ sensum, Cum regnũ ad alienigenas translatum à Iudæis fuerit, tum venturum esse Messiam, sustineri non posse, eo quod Christus nõ tum venerit, cùm primùm à Iudæis ad Babylonios & Persas regnũ translatum fuit, rursum neque hũc quoque sensum, non prius auferetur de Iuda sceptrum, quàm Messias venerit, existimaui in hoc errandi causam sumptam, quod quo tẽpore sceptrũ illud ponendum in Iuda esset, quod non auferetur, obseruatum ab initio non fuit. Nam sine dubio, si in ipso Dauid sceptrum illud incipiebat poni in tribu Iuda, de quo propheta agit id ablatum per Babylonios, ex dicta tribu fuit, habitis tantum in ea 21. regibus, & tamen

& tamen Christus nondum venerat. Attentius ergo capitulũ illud vnde prophetia ista sumpta est, legendum esse putaui. Atque in illius principio, ex verbis, quibus ante prophetiam istam propheta præfatur, inuenien dæ dictæ expositionis occasionem sumpsi. Sic enim inducit Moses patriarchã Iacob ad filios loquẽtem, Congregamini vt annunciem quæ ventura sunt vobis in nouissimis diebus: congregamini & audite filij Iacob, audite Israel patrem vestrum. Hoc exordio pius pater ad filiorum attentionem sibi conciliandam vsus est, antequam vnicuique benedicendo, futura prædiceret. Quia autem, quæ prædicit, non in diebus illis, in quibus sic loquebatur, sed in nouissimis diebus euentura dixit, ad quærendum qui sint illi dies nouissimi, me eiusmodi verba excitauere. Quærenti autem qui sint nouissimi illi dies, en cõmodum, Diuus Petrus Apostolorum princeps primus occurrit, ita de Christo scribens, Non corruptibilibus auro vel argẽto redempti estis, sed precioso sanguine, quasi agni immaculati Christi & incontaminati, præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autẽ nouissimis temporibus propter vos, qui per ipsum fideles estis in Deo. Quibus verbis ostendit tempus

aduentus

aduentus & manifestationis Christi, nouissima esse tẽpora, de quibus & Apostolus Paulus 1. Cor. 10. ait, Hæc autem omnia in figuram contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt. Et alius Apostolus, Charissimi nouissima hora est. Vnde & Leo Papa serm. 4. de Epiphania. In vno, inquit, eodemque, Domino nostro Iesu Christo, & vera deitas & vera credatur humanitas. Deitas, qua ante omnia secula in forma Dei, æqualis est patri, humanitas, qua nouissimis diebus in forma serui, vnitus est homini. Per quæ verba, quid per nouissimos istos dies, de quibus meminit patriarcha prædictus, intelligere debeamus nobis indicat. Rupertus quoque Abbas lib. 9. Com. in Gen. ista patriarchæ verba sic interpretatus est. Audiuimus, inquit, his diebus nouissimis, quæ tunc ventura erant, nũc autem iam venerunt, & facta sunt, in diebus istis, diebus vtique nouissimis testante Paulo, quia nos sumus in quos seculorum fines deuenerunt. Et ideo, cum cap. 27. dicti libri, ea quę in benedictione Symeon & Leui dicta sunt à propheta, vno modo interpretatus esset, ad tempus illa vitæ dictorum fratrum accõmodando, tandem corrigit se ipsum, sic dicens, Verum

quia

quia de diebus nouissimis se prophetare di-
cit, dicens. Congregamini, & annunciabo
vobis, quæ ventura sunt vobis diebus nouis-
simis, rectè de Pharisæis propheti dictū in-
telligitur, & deinde de Pharisæis, qui Christi
mortē procurarūt, propheti verba interpre
tatur. Vnde factū est, vt & ista benedictionis
Iudæ verba, Non auferetur sceptrum &c. ad
nouissimos dies, in quibus Christus venit, ac
cōmodanda esse existimarim, de quibus ad
Hebr. Apost. scribens, ait, Multipharià mul-
tisque modis olim Deus loquens patribus in
prophetis, nouissimè diebus istis loquutus est
nobis in filio suo, &c. Quare & ad tentandū,
quomodo ad tēpora tantū verba ista coapta
rētur Christi, animū studiūmque applicui, &
dum vocis Hæbraicæ עד, quæ idem quod
latinis donec, significat, varias significationes
considerarem atque despicerem, visum mihi
est, quādoquidem idem, quod, Dum sæpius
significaret, seu Quando, quemadmodum &
donec latinis, vti apud poetam dum canit,

Donec eris fœlix multos numerabis amicos.

Id est dum, aut quando eris fœlix: si in istis
prophetæ verbis, donec pro dum, accipere-
mus, vel pro quando, quod sensus appareret
aduersus quem nihil excipi posset. Vt scili-
cet intelligamus prophetam dictum voluis-
se

se quod quando, vel dum Christus venerit non vltra auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius. Ita vt in diebus Christi sceptrum positum in tribu Iuda stabile & æternum futurum, prædicere eum voluisse dicamus, quod dum antea in Dauide semel in dicta tribu positum fuisset, stabile non fuit, sceptro in Sedechia deficiente & ablato ex Iuda. Et visus mihi est sensus iste multum scripturis iis conformis, quæ de Christi regni æternitate, ingentia testantur. Si donec venerit Christus non auferendum sceptrum ex Iuda dixeris, vtique postquam venerit auferendum insinuas. Hoc autem verbis contrarium est scripturæ, quæ passim testatur tunc regnũ æternũ incipiendum esse, & Christum regnaturum in domo Iacob in æternum, & sessurum super sedem Dauid patris sui. Magnus mihi videretur error, si post aduentum Christi, auferendum esse sceptrũ de Iuda diceremus, cũ omnia prophetarum testimonia eò tendant, vt tunc ostendant sceptrũ ponendum in tribu Iuda esse, quod nunquam inde vlterius moueretur, vel in aliam gentem aut populum transferretur.
Dan. 2 Ita enim de isto regno Daniel scripsit, his, vt credo, propheticis verbis alludendo. In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus

coeli

cœli regnum,quod in æternum non dissipa bitur,& regnum eius alteri populo non tradetur. Cōminuet autem & consumet omnia regna hęc,& ipsum stabit in æternum : quasi diceret, anteaduentum regis, cuius erit tale regnum, non erit sceptrum regni stabile in aliquo populo aut tribu, agebat enim Propheta de regnorum aliorum variis mutationibus, sed aduenient Christo & rege isto, incipere debebat regnum, cuius sceptrum nunquam erat alteri tribui,erat populo tradendum. Cum tanta de sceptri Iuda stabilitate,per Christi aduentum futura prædicentur,certè mirum videtur, quod per eius aduentum ex Iuda auferendum sceptrum regni quisquam dicere ausit,cum tum maximè regnum illud Iudæ incipere deberet, quod æternum duraturum erat. His bene considératis, videre mihi videor, quod in hanc nostram expositionem , pij quique consensuri sint,maximè cum nihil fidei,aut bonis moribus contrarium habeat,& communis expositio sustineri nulla ratione possit. Vides quomodo ista expositio,Non auferetur sceptrum de Iuda, nisi prius venerit Christus, quæ literalis verborum prophetæ expositio alias esset,si omnia illius verba secundum significationis. eorum naturam exponamus,

sustineri non potest. Deinde ex istis verbis haberi sensus hic non potest, Tunc scilicet, venturum Christum, cum sceptrum ex Iuda ablatum esset, neque iste, Postquam venerit Christus auferendum sceptrum ex Iuda est, relinquitur ergo sensum verum esse, dum seu quando Christus venerit, non amplius auferendum esse sceptrum de Iuda, neque ducem de femore eius. Nam hæc expositio, cum reliquis scripturæ, de regno Christi testimoniis, mirum in modum quadrat. Præterea, cum nouissimi illi dies, de quibus patriarcha agit, non in Dauid, sed in Christo incipere debebant, videtur dicendum esse, quod in Christo incipiendus terminus erat, post quem sceptrum auferendum ex Iuda vlterius non erat. Ecce quibus expositio nostra fundamentis, & scripturæ sententiis nititur. D. Fateor equidem præclara illam, & multum probabilia fundamenta habere, enim quæ maximè confidero nullam aliam, quæ ex istis erui verbis potest, cum cæteris scripturæ sententiis, quę contra communem allegantur, stare simul posse: verùm hoc vnum tibi semper æmuli obiicient antiquorum te doctorum nullū pro ista tua expositione habere. A. Libenter huic renūtiauero, si quæ aduersus cōmunem ex scriptura allegari in-
con

cōuenientia, soluantur, & talis detur quæ nullam exceptionē patiatur expositio. Sed quod dicere antè inceperam, Origenē pro hac me opinione habere puto. Postquā enim hac ex cogitata expositione, mecū ipse reputarē, rejiciendā eam ob nouitatē suā esse, & æmulos meob eā calūniaturos cum librorū daretur copia, quid super istis prophetæ verbis, antiqui dixissēt, perquirere cœpi, & inter cæteros occurrit Origenes, qui prophetiam hanc, de Christi regno, vsq; ad secundum eius in fine mūdi aduentū duraturo, exponi posse docet, adeo vt terminus, à quo duratio inceptura regni Iudæ erat, primus Christi aduētus esset, & terminus ad quē eius secundus aduentus. Licet autem vocē, donec, non ita, atque nos exponat, tamen eius cum nostra, expositio mirum in modum concordat. Illius hic verba subiiciam. Si verò quis, in omnibus cupiat cursum vtriusque expositionis aptare, poterit extorquere fortassis, vt de Christo hæc, hoc modo videantur intelligi. Quia non deficiet princeps ex Iuda, id est, hic, qui post resurrectionem eius, Ecclesiarum princeps ordinatur, & dux de femoribus Christi, hoc modo exponet. Mēbra Christi esse dicit Apostolus fidelium populum, sine dubio intelligendo spiritualiter eos, qui pro firmitate &

constantia fortitudinis, omne corpus Ecclesiæ sustentare videntur & ferre, vel quia humani seminis indicium, solet femorum appellatione figuraliter dici. Apud nos autem qui seminat verbum seminat. Poterunt ergo, qui ministerium verbi, Ecclesię exhibent, de Christi femoribus intelligi duces. Vsquequo veniant, quæ reposita sunt? Et videbitur ita posse intelligi, quod vsque ad consummationem seculi non deerunt isti duces, donec veniant ea, quæ reposita sunt, quæ præparauit Deus his, qui diligunt eum. Et ipse erit expectatio gentium. In die scilicet iudicij, cum omnes gentes & populi, Christū iudicem in pauore cordis, & tremore conscientiæ expectabūt. Hæc Origenes. Ex cuius verbis idem, quod nostra expositio asserit, eum dicere, & dici posse asserere constat. Nos enim sic verba prophetiæ istius intelligimus. Quòd scilicet dictum propheta velet, in Christo Ecclesiæ regnum incœpturum in quo ipse æternùm regnaturus est, cum iis principibus & ducibus, qui ex eius femine & femoribus progignendi sunt, & propagandi vsque ad consummationem seculi, donec veniat ad iudicandum viuos & mortuos. Et de hac generatione & principum æterna successione, Psalmista cantat, Pro patribus tuis

tuis nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terram. Archiepiscopos & Episcopos Apostolorum successores designans, super omnem terram, hodie Christi authoritate & nomine regnātes. Atqui de hac generatione apud Esaiam præclarum quoque testimonium habemus, cap. 59. suæ prophetiæ, vbi Deum patrem, sic Christum regem alloquentē inducit, Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo & vsque in sempiternū. Quibus verbis de Christi regni sceptro agere mihi videtur, quod est verbū Dei, quo verbo velut gladio quodam & sceptro, Ecclesias suas Christus, & eius successores moderantur, & hoc verbi Dei, quod pater in Christi ore posuit, sceptrum nunquam de successorū eius auferendum esse Ose. propheta prædicit, quos Christi semē, id est generationem & successionem mysticè vocat. Ex Christi autem & successorum eius, summorum scilicet pontificum, lateribus seu femoribus, cæteri Ecclesiarum principes & duces nascuntur, à quibus nisi mittantur, & verbi sceptrum accipiant, durare non possunt, imo ad Christum non pertinent, nec ad

eius regnum. Eligo ergo in istius patriarchæ verbis intelligere, Ecclesiæ Romanæ quæ domus Iacob, quæ patris Dauid sedes, quæ Christi regnum est, sceptrum, id est auctoritatem & potestatem, & principum eius successionem, æternùm duraturam esse prophetam dictum voluisse. Atque hoc est, quod Origenis indicat expositio. Vocat autẽ femora Christi, firmiora eius Ecclesiæ membra, quę velut femora totũ corpus, sic ipsa totum Ecclesię mysticũ corpus ferunt & sustinẽt, vel quia ipsi verbi Dei semine per Euangelium in Christo Iesu alios Ecclesiæ duces generant, & Ecclesiarum principes. Pulchra sanè meo iudicio expositio, & iucunda metaphora, ad Ecclesiæ Catholicæ regni stabilitatem, & successionem perpetuam præsignificandam & declarandam. Vides ergo, amice, Origenis expositionem, præclaram nostræ, lucem & auctoritatem afferre.

D. Certè mirum in modum, quæ pro tuæ expositionis corroboratione in medium ex Origene, Esaia, & Psalmista attulisti mihi placent, & tua expositio fidei contrarium nihil continet, imo ad regni Christi stabilitatem intelligendam multum confert, neque quenquam deinceps rejecturum eam, qui hęc tua, quibus innititur fundamenta legerit,

gerit existimo, maximè cum ex tam antiquo doctore antiquitatis illi authoritatem conciliaueris. A. Quòd si quis eam retinere ob stinato animo pergat, nihil amplius audiet à nobis,nisi illud Horatij,Si quid nosti rectius istis,candidus imperti,si non,his vtere mecū. Ego quod habui in medium attuli,alij melio rá præstēt,& soluendi difficultatis propositæ nodum,rationem inueniant cōmodiorem.

D. Alia ne adducere in huius tuæ expositionis confirmationem,potes?

A. Multa sanè adhuc dici possent, sed in immensum tractatus hic creuerit, si omnia, quę super scripturę huius interpretatione afferre ex antiquis possem, persequi velim. Inter cætera, D. Augustinum comperio partē prophetiæ huius, videlicet illud, Et ipse erit expectatio gentium,ad tempus illud retulisse, quod post primum Christi aduentum numeratur,dicens non futurum Christum expectationem gentium, vsquequo post illius resurrectionem in eum crediturę gentes,ipsum in fine mundi venturum ad iudicium expectabunt.Quam prophetiæ partem,dum ad nouissimos dies refert, videtur indicare,& reliqua ad eosdē referri posse. Hic de varietate, secundum quam prophetiæ huius verba ab antiquis legūtur doctoribus,vel de lectionis,

& interpretationū varietate, ad quas Rabini recurrunt, & Talmudistæ, dicere supersedeo, aliò properãs. Neque enim in hac apologia, alium propositum scopũ habebamus, quàm ostendere iusta nos ratione, à cõmuni prophetiæ huius expositione recedendum esse iudicasse, imò coactos prorsus ab ea recessisse: si quid autem hic à me amplius dictũ desideras, quo me apud pios quosque & doctos viros, excusem & purgem edicito, rem sanè gratam mihi feceris. D. Mihi satisfecisti, & meo iudicio, æquo cuique lectori.

A. Nõ abs re fuerit, si quomodo quidam modernus Doctor, quoddam superius à me contra cõmunem expositionem adductum argumentũ soluat, hic retulero. Quærit enim in hũc modũ. Cum prophetia inquit ista dicat, quòd regia potestas duratura sit apud tribum Iuda, ad id vsque tẽpus, quo Sylo venturus erat, cũmque potestas hęc post Iani Hircani mortem ad Machabæos, ac postea tandem ad Herodem deuenerit, cur sceptrum apud posteros Dauidis, in tribu Iuda nõ manserit, vsque ad Mariæ patrem. Nam Machabęi ex tribu Leui sunt, non Iuda. Quomodo igitur sceptrum in eorum manus peruenit? quo iure illi potestatem regiam vsurparunt, & exercuerunt? Et respondet, Hanc prophetiam certè

certè sic impleri oportuit, vti huic Sylo Chri
sto,iuxta priorem ipsius in mundum hunc
aduentum,conueniebat, & sic, ne aliis pro-
phetiis de Christo & cõditione regnóue eius
repugnet. At propheta Zacharias dicit prio-
rem aduentum Christi,futurum Eni,hoc est,
pauperē,egenū,& humilem, cõtemptibilem,
ac despicabilem. Iam si Christus natus fuisset
rum cum adhuc stirps Dauidis regiæ maie-
statis fastigium obtinuit, atque ita Ioachim,
Maria & Ioseph potētia clari,regióq; sceptro
potiti fuissent coram mūdo, vbi tum esset il-
lud pauperrimū præsepe in Bethleem? Vbi
fuga in Aegyptū? Vbi aliæ notæ ac signa hu
militatis Christi, & miseræ ærūnosæq; condi
tionis in tēpore dispensationis ipsius, de qua
prophetæ sunt vaticinati? Quapropter breuis
illa Machabæorū in regno Iudaico potestas
aut regimē, impletioni huius prophetię non
repugnat. Hoc fortassis fieri voluit diuina
prouidentia, ob suas causas, primùm vt Chri
stus pauper, sine strepitu & pompa mundani
regni, vti spiritualis rex è tribu Iuda & Dauī-
dis nasceretur, ideo tribū illā annos aliquot
ante dignitatis multum amittere, vilem ac hu
milem despectamque fieri, ac fere cōcidere,
nulloq; in honore corā mundo haberi opor
tuit, queadmodū id Esa. 11. describitur, vbi in-

quit, Egredietur virga de radice Iesse, & flos siue ramus, de radice eius ascendet, siue fructificabit. Hebræus textus vtitur vocula Gesa, eam vocem Aquila, Symmachus, & Theodotio reddiderunt Græcè κορμὸν, id est truncum, stipitem, baculum vt significarent quod longo tempore post captiuitatem Babylonicam, cum iam nemo ex stirpe Dauidis regiam sedem occuparet, quod tum Maria veluti è trunco quodam arido, & Christus è Maria exierit, quemadmodum & Hieronymus scribit.

Hanc prophetiam quoque impleri necesse fuit, ideóque tribum Dauidis, eo tempore, quo Christus nasci debebat, antè omni regia gloria vacantem & contemptibilem iacere, & veluti infrugiferum, annosum, aridúque truncum, & stipitem, reputari oportuit, id quod & factum est iis centum & viginti nouem annis, quibus post Ianum Hircanum, Asmonęi, id est, Iudas cum suis cognatis & nepotibus posterisue, sacerdotium & secularem etiam potestatem vnà admistrauerunt. Ibi tum prosapia Dauidica in eam pauperratem ac contemptum deuenit, vt videretur fieri non posse vnquam vt tantus rex, ex arido hoc & vetustate, quasi plane corrupto & emortuo trunco, proueniret. Cum autem tribus

tribus Iesse extremo contemptu laboraret, tum Sylo Christus, in forma humili, vili, abiectaque, in Bethleem ciuitate Dauidis nascebatur. Ideoque Iudæi tum, cum grauis iis immineret Antiochus, cumque Amosnæi sacerdotalem & regiam dignitatem in se suscepissent, tum facile diuinare & non obscuris his signis admoniti intelligere potuissent, instare tempus illud, quo Sylo venturus esset. Ex istius doctoris verbis, quàm sit difficile communem prophetiæ istius expositionem sustinere, manifestè patet, dum quàm se torqueat, vt occurrentes soluat difficultates, videmus, ex quibus dum extricare se conatur, non potuit euadere, quin sibi cõtradicentia diceret: fatetur quidem prophetiæ sensum esse, quòd regia potestas ad Christum vsque in tribu Iuda perseueratura erat, fatetur tamen prædictam potestatem per 129. annos ante Christum natum ad tribum translatam sacerdotalem. Rursum quod ait oportuisse, (vt impleretur altera prophetia quæ de Christi humilitate & paupertate prædixerat) non perseuerare ad Christum vsque sceptrum in tribu Iuda: idem est acsi diceret, prophetiam prophetiæ contrariam esse, scripturam scilicet vnam, alteram destruere. Oportuit inquit, vt tribus Iuda per aliquot antea annos

fine vllo esset honore & dignitate, velut truncus quidã siccus, ex quo nulla spes appareret, ramos vllos, flores aut fructus aliquando nascituros, quatenus Christus pauper & humilis, ex Parentibus nullo regali honore aut diuitiis ornatus, nasceretur in mundo, vt impleretur prophetia Zachariæ dicentis, priorem Christi aduentum futurum Eni, hoc est, pauperem, egenum, humilem, contemptibilem, ac despicabilem. Nostra expositio cum nulla alia scripturæ sententia aut prophetia pugnat. Imo nostra mirabilem habet cum aliis, de Christi regno prophetiis, concordiam. In hoc totius difficultatis huius enodatio consistit, si bene perpendimus in quod tẽpus prophetia ista collimabat & respiciebat. Neque enim viuente filio patriarchæ Iuda, vllum in eius domo & familia regium sceptrum fuit, neque dum in Aegypto essent neque in egressu ex Aegypto, neque post egressum ex Aegypto vsque ad Dauid regem quisquam ex illa tribu. Iudaicarum rerum summam tenuit. Quæritur ergo, an sceptrum istud (quod Schultam, id est imperium, Tharghum interpretatur) de quo agit propheta sceptrum esset Dauidis, an verò Christi Non potest dici sceptrum esse Dauidis, cum per tot antequam Christus veniret secula ex tribu Iuda

bu Iuda ablatum, per transmigrationem Babylonis fuerit, in qua nullum regem ducem aut principē præter alienigenas Iudæi habuere, vt patet ex Dan. Neque est quod quisquā mathematicos mihi hic reges, ab omni regno & subditis abstractos, effingat, dicendo regium ius semper in posteris perseuerasse Danidis, licet eo non fruerentur. Nam iusto Dei iudicio propter sua, & patrum suorum peccata, priuati regno à Deo fuere, & eorum regnum Nabuchodonosori datum, de quo Danielis 4. legimus, quòd ideò punitus diuinitus fuerit, quòd regnum se à Deo habere non cognosceret. Septem, inquit illi Daniel, tempora motabuntur super te, donec scias quòd dominetur excelsus super regnum hominum, & cuicunque voluerit det illud. Et post pauca, Regnū tuū tibi manebit, postquam agnoueris potestatem esse cœlestem. Quare & dictus propheta sciēs à Deo regem suum factum esse Nabuchodonosor, licet ex tribu Iuda esset, eum tamen Dominum suum regem vocat, cui sic ibi loquitur, Hæc est interpretatio sententiæ altissimi, quæ peruenit super Dominum meum regem. Et non dubium, quin ita eum omnes alij principum quondā Iuda filij, salutarēt, & alloquerētur. Hoc ergo pro certo habeatur

habeatur, & confesso, Deum abstulisse regnum à Dauidis posteris, & dedisse illud Nabuchodonosori, & eius per aliquot annos successoribus, & deinde Persarum regibus, qui dominati illis fuere, & à Deo potestatem regiam super eos habuere, quare & Cyrus quoque rex, à Deo datū sibi regnum fatetur, cū Iudæos ad ædificandum illi templum, in patriam suam ex captiuitate remisit. Ablatum sine dubio fuit, iusto Dei iudicio ex Iuda regnum, & sceptrum, & datum Nabuchodonosori, neque tamen Christus antequam auferretur, venerat, neque cum statim cum ablatum fuit, venit: alius ergo quærendus est verborū prophetæ sensus. De alio sceptro quàm Dauidis in illis agitur. De sceptro scilicet agitur, quod in nouissimis diebus tribus erat habitura Iuda, de quo sceptro somnium quoddā diuinitus Nabuchodonosor habuit, quod interpretatus illi Daniel dicebat, Est Deus in cœlo reuelans mysteria, qui indicauit tibi rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt nouissimis temporibus. Et quid esset id, quod sibi indicatum esset futurum in nouissimis temporibus exponens, vbi de quatuor regnorum mundi vicissitudinibus egisset, tandem subiungit. In diebus autem regnorum illorum, suscitabit

bit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo nõ dabitur. Quasi diceret. Erit regnum & sceptrum, quod non auferetur de tribu & populo in quo positũ semel fuerit, neque ad similitudinem aliorum regnorũ, vllas mutationum vicissitudines sentiet. De istis ergo nouissimis temporibus agebat etiam patriarcha Iacob, præsentia tangens & futura, vt Augustinus ait, prospiciens, dum dicit, Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est. hoc est, Nõ auferetur amplius regnum de Iuda, quando venerit Christus, quod sic interpretari cogimur, quia idẽ quod Daniel de Christi regno prædixisse videtur. Dicendo ergo quòd sceptrum illud, de quo agit Iacob, sceptrũ esset Christi, quod in nouissimis diebus in tribu Iuda ponẽdum erat, facilis erit prophetiæ interpretatio, siue eam, vt nos, siue vt Origenes interpreteris, qui illud, donec veniat, ad secundum Christi aduentum refert, cuius secundi aduẽtus respectu, Christum ait, expectationem dici gentiũ. Nos autem illud, donec, pro dum, vel, quando interpretamur, & expectationem pro spe accipi posse dicimus, quia Christus spes est vnica gentium, non esse aliud præter Christi, nomen sub cœlo credentiũ, in quo se saluos fieri

fieri oporteat. Habes itaque amplam satis rationũ expositionis nostrę explicationum, & eorum quæ pro cõmunis afferuntur sustentatione cõfutationem. His diebus dum cum viro quodam docto super his disputarem, eúmque argumentis, quibus suprà expositionem cõmunem oppugnaui, vrgerem, & inter cætera, negare in Machabæos regnum à Iuda translatum fuisse non posset, eò tandem recurrit, Christum quoque vt diceret ex Machabæorum tribu propter vtriusque per matrimonia commixtionem descendisse, quod cum allegato Diuo Paulo exertè asserente, nullum de Christi tribu altario seruiisse, refutassem, vim tum eludere conatus est argumenti, dicens Machabæos regnum sine iure vsurpasse, quod iure ad tribum Iudæ spectabat. Ergo, intuli ego, iniusti Machabæi fuêre; ergo ad impletionem prophetiæ sufficiebat ius habere regnandi, adeò vt si nullus vnquã ex ea tribu regnasset, quia tamen ius regnandi semper habebant, dici sceptrum habuisse semper nihilò secius possent. Ergo etiam & Herode regnante, sceptrum erat adhuc in tribu Iuda, quia Herodes non legitimus regni hæres, sed violentus vsurpator erat. Tum ille ne victus videretur, eò confugit, vt diceret Herodem iure regnasse, quia ita Deus volebat,

bat, vt Iudæorum ad alienigenas regnū deuolueretur. Igitur dixi ego, inuito & nolente Deo, Machabæi regnauêre, & post eos Romani à quibus precario regnum Herodes accepit, quorum benificiarius rex & tributarius erat, quare & in eius regno, Cæsaris de vniuerso dinumerando orbe, parebatur edictis. Ergo & Nabuchodonor, cui Deum cœli regnum dedisse propheta testatur, inuito etiam Deo, Iudæorum habuit & obtinuit regnum. Quas illationes cū reiicere nō posset, confessas porrexit manus, ingenuè fassus, non inuenire se, qua ratione reiici ea & solui, quæ contra communem expositionem adducta à nobis sunt possent.

D. Neque ego quoque qua via quis, quin iis capiatur, elabi possit video, quare & in tuam totus sententiam, eo, ob quam nemo te iure repræhenderit nisi istis refutatis, meliora dederit. Certū est, vbi multis & manifestis scripturæ sententiis, expositio aliqua palam repugnat, & contradicit, aliam, quæ cum illis conueniat quærendam esse, & erraret toto cœlo qui Concilium Tridentinum aliter sensisse diceret. Si in aliis quæ in dicto tuo libro obseruaui, mihi ita atque in hoc fecisti, satisfeceris, quod alicuius repræhensiones timeas non erit. A. Vnanimem non vi-

deo patrum in hac prophetia interpretanda consensum. Nam cum Augustinus & plerique alij, tum ablatum ex Iuda sceptrum dicant, cum Herodem alienigenam regem Iudæi habuere, qui ante Christum natum per triginta ad minus annos regnarat, Diuus Hieronymus vsq; ad passionis Christi tempus, non ablatum ex Iuda fuisse sceptrũ, asserit. Nam de passione Christi exponens illud Sophoniæ 1. cap. Et erit in die hostiæ Domini, visitabo super principes & super filios regis, sic ait, Vrsificabit Dominus in Aduentu de passione Saluatoris, id est in die hostiæ filij sui, super pontifices & sacerdotes populi Iudaici. Et super domum regiam. Vsque ad illud enim tempus, perseuerarunt reges Iudæ de stirpe Dauid secundum prophetiam Iacob, Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de femore eius, donec veniat, cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium. Post hostiam enim Domini, ablatum est regnum à Iudæis. Hęc Hieronymus. Quæ verba dum lego mirari soleo, quomodo Diuus Hieronymus dicat reges de tribu Iuda perseuerasse vsque ad passionis Christi tempus, cum ex Augustino & Iosepho constet, Aristobulum ex genere sacerdotali & Alexandrum, & Alexandram eius viduam regnasse multo antea
tempore

tempore super Iudæos, qui non erant de tribu Iuda, & ex Euangelio constet, nato Christo Herodem Iudæorum regem fuisse & tempore passionis Christi, nullum eos, præter Cæsarem, regem agnouisse, dicentibus illis ad Pilatum, Non habemus regem nisi Cæsarem. D. Ego quoque non video, quid D. Hieronymum in scriptura, atque historia doctissimum, ad tale quid scribendum & dicendum mouerit. A. Non mirū si bonus quandoq; dormitat Homerus. Nā opere in longo fas est obrepere somnū. Videtur forsan, ad illud Christi ad Pharisæos respexisse, Auferetur à vobis regnū Dei, & dabitur gēti facienti fructus eius. Nā post Christi passionē hæc Christi verba impleta fuere, ablata vinea peruersis colonis, & crudelibus homicidis, qui hæredē vineę extra vineam trucidarunt. Sed non de tali regno, de quo hic Christus agebat, prophetiā Iacob intelligendā esse reliqui Ecclesię patres arbitrati sunt. Nam de regno téporali visibili, nō de spirituali interpretati ea sunt, dū ad probandum Christi aduentū, eam cōtra Iudæos allegant, tunc ablatū ex Iuda regnū & sceptrum asserentes cum Iudæorum Herodes regnum vsurpauit.

D. Præterea, Christus ad Scribas & Phariseos sacerdotes & legis doctores, verba ista

dicebat non particulariter ad eos, qui erant de tribu Iuda, ad quos tantum prophetiæ Iacob verba diriguntur.

D. Nodus iste difficilior est, quàm qui à me solui possit. A. Mihi certè, velut Gordius nodus videtur. Conatus quidem sum verba prophetiæ prædictæ occasione ex Diui Hieronymi verbis sumpta de regno illo (de quo Christus in supradictis ad Scribas & Pharisæos verbis agebat) interpretari, at optatus non succedebat effectus. Neque enim, quæ commentabar secum, & cum reliqua scriptura consentiebant. Hoc vnum præcipuæ expositionis, quam moliebar illum succendebat, quod expressè scriptura dicat, prophetiam istam propriè ad eos de tribu Iuda pertinere, oporteret autem sic eam capere mus, atque si ad vniuersos in genere Iudæos dictã esset, antequam ad regnum illud eam coaptemus, quod Iudæis auferendum esse Christus prædixit. D. At Diuus Augustinus & quotquot eam ad probandum Christum, tum cũ natus est, venire debuisse, ex eo quod regnum ad alienigenam translatum à Iudæis esset, dicere consequenter tenentur, non ad solam tribum Iuda, sed ad vniuersum generaliter Iudæorũ genus, ista prophetiæ verba dicta esse. At hæc dixisse, est reliqua propetiæ

istius

istius vaticinia, quæ de Christo dicta esse tum ipsi, tum reliqui Ecclesiæ doctores ideo asserunt, quòd ipse ex tribu Iuda & non ex aliqua alia duodecim tribuum esset: vana redderet nulliúsque vigoris ad redemptionis nostræ mysteria probanda. D. Verum vtique est. Et ideo qua ratione de regno illo post passionem Christi Iudæis auferendo, prophetiæ istius verba intelligi possint, non video.

A. Si ad vniuersos Iudæos ista prophetiæ verba referri possent, facillimè successisset expositio, qua de regno illo Iudæis post Christi mortem auferendo, interpretari ea conatus sum. Tunc enim dixissem per sceptrum & duces de femore Iudæ, intelligendos eos esse qui regnum Dei spirituale, quo super Iudæos regnabat ante Christum natum, eius vice & nomine regebant, quod regnum, vinea quoque Domini Sabaoth dicebatur, quę locata erat agricolis, iis scilicet, qui super Cathedram Moysi sedere, Scribis & Pharisæis, quos malos post Christi passionem, male Deus perdidit, vinea aliis locata agricolis, qui fructus in tempore debitos redderent, ablato ab illis regno Dei, & dato Iudæis secũdum Spiritum, scilicet Christianis, qui sunt domus Iacob secundum Spiritũ, Israel secundum Spiritum, filij Abraham

secundū spiritū penes quos est nūc regnum Dei super quos Christus regnat, & in æternum regnabit. De tali regno verum est quod nou ablatum fuit Iudæis, donec venit Christus, donec venit dies passionis eius, qui erat dies hostiæ, de qua per Sophoniam loquebatur Deus. D. Facillima esset ista expositio, & maximè quadrat cum propheta verbis, si illius verba ad omnes Iudæos referri posset.

A. Posset hîc dici, quòd sicut propter nobilitatem tribus Iudæ, ab ea populus Israel in nouissimis diebus Iudæorum nomen accepit, ita aliqua ad Iudam dicta, ad vniuersos Iudæos pertinere potuisse, ideo prophetam, præsentem Iudam tangentem, in ea quæ vniuersis Iudæis ab eo nominandis euentura erant, quoad ablationem regni Dei ab illis, respexisse. Hæc dixerim vt melius super his aliquid cogitandi ista lecturis occasionē præberem. Plura quidem dici hic adhuc possent, sed huic disputationi coronidem imponere, ne cui sua fastidio longitudine sit, percupio. D. Sacræ scripturæ studiosis nihil gratius esse potest, quā obscuriora ipsius loca scrutando, genuinum illarū sensum inuestigare & comperire. Ideo quòd longiori disputatione difficultatem hanc à nemine antea satis explicatam, enodare conatus es, gra-
tum

tum illis erit, & æqui bonique consulent.

A. Equidem sudores nostros aliis candidè impertimur. Sed restat, alia quæ dicto in libro obseruasti reprehensione digna, vel certè digna reprehensione apparentia, exponere pergas. D. Sed prius vellẽ varietatem lectionum huius prophetiæ breuiter annotares, quemadmodum variè apud doctores reperitur. A. Lubens id fecero. Diuus Augustinus lib. 16. de ciuitate Dei, cap. 41. & lib. 12. contra Faustum cap. 42. sic prophetiæ huius verba legit, Non deficiet princeps ex Iuda & dux de femoribus eius, donec veniant, quæ reposita sunt ei, & ipse erit expectatio gentium. Quam prophetiam, de Christi aduentus tempore exponens, sic ait. Ipse igitur est, in quo reposita erant promissa Iudæ, quæ donec venirent, nunquam principes, hoc est reges Israel, ab illa stirpe defuerunt. Idem tamen lib. 18. de ciuitate Dei cap. 45. ait aliquos ante Herodem ex stirpe sacerdotali super Israel regnasse, vti Aristobulum, qui fuit rex & sacerdos, & aliquot eius successores, vti ex præcedentibus patet, neque legit, vt nos donec veniat qui mittendus est, sed donec veniant, quæ reposita sunt ei. Origenes homilia 17. in Gen. sic prophetiam hanc legit, Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de

femoribus eius vsqueque veniat ea quæ reposita sunt ei vel vt in aliis exemplaribus habetur, veniat is, cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium, de qua sic ait, Hic locus manifestè refertur ad Iudam. Constat enim vsque ad natiuitatem Christi, non defecisse principes ex genere Iudæ nec duces de femoribus eius vsque ad Herodem regem &c.

Diuus Hieronymus in 3. cap. Oseæ exponens illud prophetæ, Dies multos sedebunt filij Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio & sine altari, & sine Ephod, & sine Teraphim. vbi per regem intelligit Christum dixisset, allegat prophetiam hanc patriarchæ Iacob in alio sensu, quam in prius adducta à nobis eius sententia, eam interpretatus est. Sic enim ait, de hoc rege, & Iacob in benedictione Iudæ patriarchæ loquitur, Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius, donec veniat, cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium. Ergo postquam defecit princeps ex Iuda, & dux de femoribus, eius, & Herodes alienigena & proselytus suscepit imperium, intelligimus venisse, cui regnum repositum est, & ipse erat expectatio gentium.

Hic Diuus Hieronymus principem ex Iuda defecisse tum ait, cum Herodes rex factus

ctus est Iudæorũ. Et prophetiam in eo allegat sensu, quasi dixisset propheta, tum venturum Christum, cum Iudæorum regnum ad alienigenam translatum esset. In loco autem prius à nobis ex eo allegato, ait, vsque ad Christi passionem perseuerasse reges ex tribu Iuda, & non nisi post Christi passionem ablatum à Iudæis regnum fuisse.

Interlinearis verò glosa super prædictum Oseæ locum, sic dictam allegat prophetiam, quasi dixisset propheta, non prius venturum Christum, quàm defecisset princeps ex Iuda. Nam interpretans illud, sine principe, ait, De Iacob, sine ipso Christo Saluatore & sacerdote, quia non veniet Christus, donec deficiet princeps de Iuda, & regnet Herodes alienigena. Hæc dicta glosa, quæ certè contrario in sensu atque prophetiæ verba habent, ipsam allegauit. Nam propheta ait. Non deficiet princeps ex Iuda donec veniat Christus: glosa autem prædicta inuertit eius verba ipsum allegans, ita acsi dixisset, Non veniet Christus donec deficiet princeps ex Iuda, cum prophetæ verba expressè significent, si aliter quàm nos exposuimus, interpretanda esse dicatur, non prius defecturum principem ex Iuda, quàm Christus veniret, id est, vsque post Christi aduentum, non defectu-

rum principem ex Iuda, seu non esse auferendum sceptrum ex Iuda, nisi postquam Christus venerit.

Quid Rupertus super hac prophetia scripserit, hic quoque inserere non abs re fuerit. Is lib. 9. comment. in Genes. cap. 29. sic super istis prophetę verbis scribit, tam quasi quęreretur, quando ille veniret, & quod signum aduentus eius, continuò sequitur, Non auferetur sceptrũ de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Hoc omni homini oculos habenti, certum & preclarum est. Quãdo enim, vel ex quo ablatum est sceptrum de Iuda, & dux de femore eius? videlicet ex tũc, quando regnum Iudæorum Romanis tradentibus adeptus est Herodes alienigena, patre Idumeo, matre ortus Arabica. Et quidem reges defecerãt à tẽpore captiuitatis Babylonicæ, duces tamẽ qui essent de gente illa perseuerauerunt vsque ad contentiones Hircani, & Aristobuli, qui ex commixtis tribubus sacerdotali scilicet & regia orti, regnũ & sacerdotiũ discordibus sibi diuidẽtes animis, contẽdendo, & inuicẽ pugnãdo, tandem occasionẽ porrexere Romanę potestati, locũq; aperuerunt alienigenæ Herodi. Ita paulatim deficiẽte, & claudicãte femore Iudæ, tandem potestas

potestas omnis ab eo sublata est. Vnde prudenter non tantū dictum est. Non auferetur sceptrū de Iuda, sed additū est, & dux de femore eius. Tūc primùm ergo sublatum est sceptrum de Iuda, quando tulit illud Herodes, qui vtiq; Iudæus non erat. Quis autē nesciat, quia tunc venit qui mittēdus erat? Tunc enim Iesus Christus Dei filius in Bethleem Iudæ, de virgine nasci dignatus est. Hæc Rupertus. Nicolaus de Lira sic prophetiā istam exponit, Non auferetur sceptrum de Iuda, id est, dignitas regia, & dux de femore eius. Quia deficiente regno, interfecto rege Sedechia in captiuitate Babylonica, extunc gubernatus fuit populus Iudęorū per illos, qui erant de tribu Iuda, quia in reditu dictæ captiuitatis Zorobabel fuit dux eorum, vt patet Zacha. 4. & Aggei 2. & postea sacerdotes gubernabant populum, vt patet tempore Machabæorum, qui etiam erant de tribu Iuda, quia tribus sacerdotalis, & tribus regia erant cōmixtæ, vt patet 4. Reg. 11. vbi dicitur, quòd Sosabath soror Ochozię regis Iudę tulit Ioas, & erat cum ea sex annis in domo Domini: quia ipsa erat vxor Ioiadæ pontificis. Et istorum regimen durauit vsque ad tempus Herodis, qui fuit alienigena, scilicet de genere Idumeorum. Ex huius doctoris verbis, con-

stat

ftat regnum & reges de tribu Iuda per captiuitatem Babylonicam defeciffe penitus, faluat autẽ veritatem fenfus,quem dat prophetiæ, per hoc quòd fuere duces faltem, licet non reges, de tribu Iuda,qui populum vfque ad Herodis tempora rexere, fed eius expofitioni obiicitur, quòd prophetia propofitio copulatiua eft non disiunctiua. Ait enim copulatiuè,non auferetur fceptrum & dux.non autem non auferetur fceptrum vel dux. Vnde ad illius veritatem oporteret oftendere vtrunque , regem fcilicet & ducem vfque ad Chriftum, habuiffe pofteros Iudæ. Quòd fi propheta disiũctiuè loquutus fuiffet, optimè fenfum in quo exponit eius verba, faluaffet, dummodo duces ex tribu Iuda vfque ad Herodem,Iudęos habuiffe probaffet. Licet enim habuiffet quidam pontifex vxorem fororem regis,hoc tamen fecit contra legem Dei, id prohibentẽ,vti fuprà docuimus. Neque probari poteft Machabæos ex põtificibus defcendiffe. Mathathias enim Machabæorum pater, non erat pontifex, fed fimplex facerdos de vice Ioachim,nec fuit fummus Pontifex. Iudas fuit primus fummus pontifex de Afmoneorum progenie,affumptus ad talem dignitatem à populo,poft debellatos ab eo Antiochi duces. Preterea licet põtifices accepiffent ex alia

ex alia tribu vxores, tamen quia per patres, auos & attauos, non per matres ex qua quis tribu esset censebatur, non adhuc inde sequeretur, quod Machabæi essent ex tribu Iuda, licet aliquam ex illa tribu matrem habuissent. Neque sequitur, licet Ioiada pontifex contra legem Mosis agendo, vxorem habuerit ex tribu Iuda, quod cæteri omnes sacerdotes & Leuitæ idem fecerint. Christus autem cum non habuerit patrem hominē, sed solùm matrem, ex ea tribu censendus est, ex qua eius auus, matris suæ pater descenderat. At Apostolus hanc Nicolai de Lira euasionē reiicit, dum ait, nullum ex tribu Iuda altario seruisse, vti suprà diximus. Et tāto cum rigorē exigebatur, ne quis ex alia tribu, quàm sacerdotali, seu Leuitica altario seruiret, quod quidam rex ex tribu Iuda lepra olim percussus fuit, eo quòd incensum adolere Domino præsumpserat, vt patet 2. Para. 26. Quare & in suis Burgen. ad Nicolai glosam, additionibus, hanc ipsius euasionem reiicit, dicens, Iudæorum cauillationibus rectè à Nicolao responderi, vno excepto, scilicet, quòd Machabæi qui sacerdotes fuerunt, & gubernarūt populum, essent ex tribu Iuda, quod ipsi, inquit, negant, nec planè contra eos hoc probatur. Quare alium quærit modum euadendi vim

argu

argumenti, quod ex eo quod Machabæi, qui non erant ex tribu Iuda Iudæorum per tot annos duces fuere, ad cōmunem expositionē oppugnādū sumitur. Et adducit ex quodā libro cuiusdā Rabini, pugione vocato, fabulā illam, de quodā collegio seu cōsistorio Iudæorum, Sanhedrim dicto, quàm sibi mirè placere ait, ad quem, inquit, omnes difficultates seu dubia legis, & fidei perueniebant, & omnia summa iudicia, & controuersiæ, qui sub regibus & ducibus Iuda in Hierusalē habitabant & in reditu ex captiuitate Babylonica, apud Hierusalem durabat eorum potestas, prout potestas alicuius capituli vacāte se de durat, quorū potestas, inquit, durauit etiā tempore Machabæorum, & vsque ad certum tempus ante destructionem templi secundi, quod concurrit cum tempore passionis Christi. Hæc fabula scripturæ contraria est, quæ fidei dubia ad summum sacerdotē spectare docet Deut. 17. Et de legis scientia & de illius controuersiis iudicare ad sacerdotes, non ad eos de tribu Iuda spectabat, vnde oporteret dicere dictum Sanhedrim Iudæorum, ex tribu sacerdotali collegium fuisse, non autem eorum, qui erant ex tribu Iuda, qui militiam, & ciuilia negotia sectabantur. Præterea collegium istud dici non poterat

rex vel dux, qui non ad democraticum, aut aristocraticum, sed ad monarchicum regendi populum genus spectat. Et ideo author replicarum correctorij Burgensis Matthias Thoring Saxo, hanc ipsius fabulam reiicit, sic scribens. Fingit, inquit, Burgensis cum suo pugione, quoddam consistorium habens similem vim, sicut habet capitulum sede vacante, per quod putat concludere Iudæis malè hunc passum exponentibus pro tempore Machabæorum, quando de tribu Iuda nec erat sceptrum, neque principatus. Deinde refutat opinionem Burgensis primò, quia fictum istud consistorium durauit inquit, secundum eum, vsque ad destructionem templi secundi, factam anno 83. post Christi natiuitatē. Nam Christus vixit annos 33. & 50. anno post illius passionem templum à Tito euersum fuit, qui iuncti faciunt annos 83. & secundum Burgen. sensus istius passus, inquit est, quod ante ablationem talis consistorij, non venit Christus. Vnde esset error in 83. annis. Secundò non probat istud consistorium fuisse de tribu Iuda semper, imo secundum communem opinionem, Scribæ & Pharisæi, qui hoc consistorium constituebant, fuerunt de tribu Symeon & Leui, vt dicit hic glosa interlinearis. Verum mihi videtur

detur potius dicendum istos Scribas & Pharisæos ex tribu fuisse Leui. Nam illud Deut. 17. Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniésque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem (id est pontificem, inquit glosa interlinearis) qui indicabũt tibi iudicij veritatẽ ad id asserendum nos agit, quandoquidem Burgensis ait ad collegium istud, causas fidei defferri solitas. Et præterea Christus eos ait, super Moysi cathedram sedisse, qui quidem Moyses Leuitica ex tribu erat. Dictus Matthias licet consistorium istud Burgensis euerterit, non tamen attulit ipse rationem, qua argumentum ex eo, quòd Machabæi, qui duces & pontifices fuêre, de tribu Iuda non erant, sumptum solui possit, neque refutat in eo Burgensem, quòd Machabæos esse de tribu Iuda, probari non posse dixerit.

Diuus Augustinus libro 12. contra Faustũ 42. cap. inquit, Vellem scire, imo melius nescierim, qua cæcitate animæ legerit Faustus, vbi vocauit Iacob filios suos, & dixit, Congregamini vt annũciem vobis, quæ occursura sunt vobis in nouissimis diebus. Congregamini & audite filij Iacob, audite Israel patrem vestrum. Hic certè nemo dubitat pro-

phetan

phetantis personā esse dilucidatam. Audiamus ergo quid dicat filio Iudæ, de cuius tribu Christus venit ex semine Dauid secundum carnem, sicut Apostolica doctrina testatur. Iuda, inquit, te laudabunt fratres tui, manus tuæ super dorsa inimicorū tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis de germinatione, fili mi ascendisti, recumbēs dormisti vt leo, & vt catulus leonis, quis suscitabit eum? Non deerit princeps ex Iuda, & dux de femoribus eius, donec veniant, quæ reposita sunt ei, & ipse erit expectatio gentium. Et paucis interiectis exponit hæc vltima verba sic dicens, Si defuit princeps ex Iuda, & dux de femoribus eius donec veniret opportuno tēpore, quæ promissa tāquam reposita fuerant: Sunt enim literæ certissimè historiæ ipsorum quoque Iudæorum, quibus ostēditur primum alienigenā Herodem regē fuisse in gente Iudæorū, quo tēpore natus Christus est. Ita non defuit rex de semine Iuda, donec venirent, quæ reposita erant illi. Idem lib. 22. cap. 84. & 85. dictam quoque prophetiam allegat & exponit, licet aliam habeat lectionem ab ea, quam adducit libro 12. præallegato. eius verba hic inseram. Eo sanè tempore, quo iam Iudæa cœperat reges ex tribu Iuda nō habere, non est computandus

Herodes maior in regibus eius, tãquam maritus Thamar. Erat enim alienigena, nec ei Sacramento illo mysticè vnctionis, tanquam coniugali fœdere cohærebat, sed tanquam extraneus dominabatur, quã potestatem à Romanis, & à Cæsare acceperat. Et paucis interiectis, Illo ergo tempore, quo iam de tribu Iuda regnum defecerat, veniendum erat Christo vero Saluatori Domino nostro qui non ob esset, multúmque prodesset. Sic enim fuerat prophetatum, Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius, donec veniat, cui repromissum est, & ipse erit expectatio gentium. Iam isto tempore omne quippe magisterium Iudæorum, & mystica, vnde Christi vocabãtur, vnctio ipsa defecerat secundum prophetiam Danielis, tunc venit, cui repositum erat, expectatio gentium, & vnctus est Sanctus Sanctorum oleo exultationis præ participibus suis. Natus est enim Herodis maioris tẽpore: passus est autẽ Herodis minoris tetrarchia. Huius itaque venientis ad oues, quæ perierãt domus Israel, figuram gessit ipse Iudas, cum iret ad tondendas oues suas in Thamma, quod interpretatur deficiens. Iam enim defecerat princeps ex Iuda, & omne magisterium atque vnctio Iudæorum, vt veniret, cui repositum

repositū erat, Augustinus in vno loco eiusdem sui libri, alter verba Prophetæ allegat, atque in altero. Nam in primo legit, donec veniant, quæ reposita sunt ei: in altero, donec veniat cui repromissum est. Hesechius presbyter Hierosolymitanus, in quadam de beata virgine homilia legit, donec veniat, qui repositus est. Quæ dicta sint vt videatur, quam non sit in horum prophetæ verborum interpretione, allegatione & expositione, vnanimis patrum consensus.

D. Ista proculdubio varietas & contrarietas obscuritatem indicat prophetiæ, & de illius sensu explicando, certam non esse inuentam adhuc rationem. A. Me, vt verum fatear, torsere semper & afflixere, occurrentes, quas in superioribus tractauimus difficultates, dum vt cum reliquis scripturæ sententiis, & historiis, conciliari expositio communis non posset, mecum reputarem: imo cum nullam omnino conciliationis eiusmodi ineundæ, inuenire rationem possem, & nulla ex inuentis & adductis ab expositoribus, quæ rentati verum intellectui satisfaceret. Sed multo plura à me, super quæstione hac dicta sunt, quàm me dicturum ab initio proposueram.

D. Id necessarium erat faceres, quatenus intelligerent omnes quàm iustis de causis ad

aliam à communi quærendam huius prophetiæ expositionem, coactus accesseris.

A. Cum neque vllus fidei articulus super hac prophetia obscuritate, neque morum doctrina superstruatur: deinde cum vnanimis in eius expositione, & patrum & doctorum non reperiatur consensus, id mihi licuisse existimaui. Præterea in eo sensu scripturā aduersus Iudæos allegare, qui sustineri nequeat, & aduersus quem habent ex scriptura quod excipiant, fidem nostram non ædificare, sed irrisioni exponere mihi videtur.

D. Iam satis superque hac de quæstione disputasti, restat ad alia pergamus.

DIALOGVS SECVNDVS.



A. Quod longiores hac in quæstione tractanda fuerimus, illius difficultas in causa fuit, in cæteris breuiores futuri sumus. Tuum autem erit, quæ adhuc in schedis tuis ex nostro libro obseruasti, proponere. D. Quod nūc obiecturus sum, nulla poteris, vt puto ratione eluere. Annotaui enim & obseruaui, te sępius atque iterū dicere Deū maluisse facere, vt virgo contra naturā pareret, quàm vt violādi voti virginitatis exemplū in Ecclesia relinqueret. Deus autē nihil facit, aut facere potest

potest contra naturam, sed bene, præter, & supra naturam. A. Rationes & authoritates, si quas habes ad hoc asserendum, vellem in medium afferres. Ego verò & ratione & authoritate, non absurdè loquutum me sic esse, postea docebo. D. Authoritas est D. Augustini qui lib. 21. de ciuit. Dei ca. 8. sic ait, Omnia quip pe portēta contra naturam dicimus esse, sed non sunt. Quomodo enim est contra naturam quod fit Dei voluntate, cum voluntas tanti vtique cōditoris, cōditæ rei cuiusque natura sit? Et lib. 26. contra Faustum, dici, inquit, humano more solet, cōtra naturam, quod est contra naturæ cursum mortalibus notum. Deus autem creator & conditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit. Id enim erit, vnicuique rei naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis modus, numerus, & ordo naturæ. Et eodem lib. Contra summam illam naturæ legem à notitia remotam siue impiorum, sine adhuc infirmorum, tam Deus nullo modo facit, quam contra seipsum non facit. Idem docet lib. de vera innocentia cap. 183. Vides hic simul, & tanti doctoris authoritatem, & rationes, ob quas ait, nihil Deum contra naturam facere posse. Scholastici doctores rationem afferunt August. rationibus similem, dicen-

tes, quia omnis creatura in potentia est obeditienoali respectu creatoris, vti lutum respectu figuli, quod id erit cuiusque rei natura, quod ipsum esse voluerit. Hic te auctoritate atque ratione constrictū teneo. Praeterea intellexi dum Romæ essem, doctiss. quosdam Theologos, & canonistas, quibus corrigendi certos libros demandata cura erat communi consensu, vbi quidquam Deum fecisse contra naturam io dictis libris continebatur, id abrasisse & delesse, quorū auctoritati cedas oportet. A. Vrges me vehementer, at euasurum meo me cum honore ex hac disputatione spero, modò tu neq; rationem vllam vitiosam, pro tua tuenda assertione adducas, neque fallacia vlla sophistica vtaris, æquiuocè, naturæ vocem in eadem oratione accipiendo. Et nisi id sponte feceris, ego te, admotis examinandæ propositionum & rationum veritatis regulis, id vt facias vel inuitum coegero. D. Noui hac te arte in tuis vti disputationibus, quare & à te quantum potero mihi cauebo, ne me sophisticè disputasse, deprehendas aut comperias.

A. In tuæ assertionis fundamenta nunc inquirere libet, & an solida sint expendere. Ais enim Deum nihil facere cōtra naturam, sed bene præter vel supra naturam. Quærō

num

num in eodem hic sensu & significatione, naturâ vtrobique sumas. D. Vtique alias fallacia vti me æquiuocationis dicturus esses.

A. Quas causas affers cur sic dicendum sit, hæ sunt. Prima, quia id esse, vniuscuiusque rei naturam asseris, quod Deus fecerit. Secundò, quòd voluntas tanti conditoris, cuiusque rei natura sit. Tertiò quia non plus Deus potest facere contra naturam, quàm contra seipsum. Quartò quia omnis creatura in potentia est obedientiali respectu Dei. D. In summa, rationes omnes conclusisti, quas pro nostra opinione adduximus. A. Volo nũc experiri, an vitiosas eas esse ostendere possim. Id enim argumentum vitiosum est, quod æquè seruit vtrique parti. Tam mihi rationes istæ, ad probandum Deum nihil præter vel supra naturam facere seruiũt, quàm tibi ad probandum eum nihil contra naturam facere posse. D. Id quomodo ostendi queat non video. A. Cũ secundum te, id sit cuiusque rei natura, quod Deus facit, cũ dicis Deũ aliquid facere præter naturam, aut supra naturam, idem est ac si diceres Deum aliquid facere præter, aut supra id quod facit. Rursum cum dicis cuiusque rei naturam conditoris Dei voluntatem esse, & nihilominus Deum dicis præter na-

turã & supra naturã aliquid facere, licet non cõtra naturam, idẽ est, ac si diceres Deum aliquid præter & supra voluntatẽ suam facere posse, deinde cũ eum dicis, ideo nihil cõtra naturã facere, quia nihil cõtra seipsum facere potest, & nihilominus præter & supra naturã eũ aliquid posse fateris, idẽ est, ac si dicas, eum aliquid præter, & supra seipsum facere posse. Demũ, quãdo ideo non facere eũ quicquam cõtra naturã dicis, quia creatura omnis in obedientia eius potentiali cõstituta est, & nihilo minus præter & supra naturã, aliquid eũ posse fateris, idẽ prorsus est, ac si diceres, præter & supra potentialẽ rerum creatarũ obedientiam, aliquid eũ posse. Vides ergo, vt rationes istæ contra te militent, & ideo vitiosæ sint.

D. Nondũ id planè video. A. Sicut enim cõcludis ideò Deũ nihil cõtra naturã facere, quòd natura vniuscuiusq; rei cõditoris eius volũtas sit, ita cõcludã ego, nihil eũ supra aut præter naturã facere, quòd natura vniuscuiusq; rei Dei sit volũtas. Sicut enim nihil cõtra voluntatẽ suã facere potest, ita neq; præter aut supra voluntatẽ suam. Itẽ nihil supra aut præter id, quod facit, facere potest, nihil supra, aut præter seipsum, nihil supra aut præter potentiã rerum obedientialẽ. Ergo per cõsequens, nõ plus quidquam potest supra aut

præter

præter naturã, quàm cõtra naturã posse eum asseris. Et ideo quas adduxisti rationes, tantũ cõtra te, ad probãdũ Deũ nihil supra, aut pręter naturã posse, militãt quantũ pro te facere arbitratus eas es, ad probãdũ Deũ nihil cõtra naturã facere. Vides itaq; vt rationes tuæ vitiosæ & sophisticæ sint, dum iisdẽ ego rationibus Deũ nihil præter aut supra naturã facere posse ostẽdo, quibus tu eum nihil contra naturam facere posse, probare conabaris.

D. Ita te video in meas insinuasse te rationes, vt qua via elabar (vt ingenuè fatear) penitus ignorem. Nam omnino sequitur, sumendo naturam pro Dei voluntate, aut pro eo, quod Deus facit, aut pro eo, quod est obedientialis rerum potentia, quòd non plus Deus supra aut præter naturam facere quicquam potest, quàm contra naturam facere eum non posse diximus. Non potest enim quidquam præter suã voluntatem, aut pręter obedientialem rerũ potentiam aut præter vel supta id, quod facit. Hoc enim manifestum est, negareque non possum. Sed quid ad D. Augustini dicturus es auctoritatem, dicentis Deum naturæ auctorem, nihil contra naturam facere?

A. Respondeo, sumendo naturam vti beatus Augustinus eam sumit, verũ quidem

est Deũ nihil contra naturam facere posse, at eam sic sumendo, verum quoque est, nihil eum supra aut præter naturam facere posse. Et ideo D. Augustinus, dum dixit Deum nihil contra naturam facere, non subiunxit aliquid eum præter, aut supra naturam facere posse. Hoc tua vel tuorum, non Diui Augustini additio fuit. Nam sumendo vocem naturam, ea significatione, in qua Diuus eam Augustinus dum Deum nihil contra naturam facere docet, accepit, æquè falsum est, Deum aliquid supra, vel præter naturam facere, atque est eum aliquid contra naturam facere. D. At scholastici omnes, ista, qua ego vsus sum distinctione, vtuntur & ipsi asserentes & docentes verũ esse, Deum aliquid cõtra naturã facere nõ posse, sed bene supra aut præter naturam. A. Apud nullum scholasticum legi, Deum nihil contra naturam facere posse, docent quidem quando contra naturam, quando præter aut supra naturam miracula faciat. Sed si aliqui ex eis dicunt Deum contra naturam nihil facere, sed bene præter vel supra naturam, in alia atque alia, naturam, significatione sumunt. Nam cum eum contra naturam aliquid facere negant, pro eo sumũt naturã, pro quo eam Augustinum in superioribus sumpsisse docuisti,

at cum

at cum Deum aliquid præter,aut ſupra naturam,facere poſſe docent,naturam , in ea ſumunt ſignificatione , in qua à D. Paulo ſumitur ad Romanos primo , cum de peccato contra naturam diſſerit. Et Rom.11.cum oleaſtrum contra naturam,in bonam oliuam inſeri ait.Et 1. Corinth. 11. cum naturam att non docere, quod viri comam nutriant. Et eo modo, quo naturam accepit Diuus Ambroſius lib.1.offic. cum ait,ignominiam eſſe viro,ſi comam nutriat,quum cõtra naturam eſt.Hoc eſt , ſumunt eam pro communi & vſitato naturæ curſu , ſecundum quem in ſuas res naturales,actiones exeunt,quamnaturam quoque rectè dici etiam Diuus Aug. lib.26. contra Fauſtum docet. Quia autem hoc non animaduertiſti, in tuis cœpi re verbis.Strangulant enim ſe ipſa iſta tua verba, dum ais Deum non facere contra naturam, ſed bene præter , vel ſupra naturam. Nam ſi naturam,in eodem ſenſu accipis,quum dicis Deum nihil facere contra naturam ,atque quum dicis , eum bene aliquid facere ſupra vel præter naturam , ſumendo ſcilicet naturam ita atque Auguſt. eam ſumit,dum dicit Deum non agere contra nauram , profectò ſimili ratione cogeris dicere,eum nihil præter aut ſupra naturam facere. Nam nihil poteſt

test supra aut præter voluntatem suam facere, vel supra aut præter potentiam obedientialem creaturarum. Si autem dixeris, te naturã accipere in principio tuę propositionis, pro potentia obedientiali creaturarum, vel pro voluntate Dei, & in secunda eius parte, pro communi cursu naturæ, sophisticè loquutum te esse conuincam, fallacia vtendo æquiuocationis. Et tamen nisi æquiuocè acceperis, naturam, altera propositionis tuæ pars falsa est manifestè. Rursum, si naturam vtrobique pro communi & vsitato rerum ordine, secundum quē in suas exeunt actiones acceperis, quo in sensu à Diuo Paulo sumitur, falsum erit, Deum nihil contra naturam facere posse, & modum loquendi Diui Pauli absurdũ esse dicas oportet, dũ ait oleastrum contra naturã in bonam oliuã inseri. Nam dũ homo inserit oleastrum in bonam oliuã, vtiq; illi cooperatur Deus qui est in ea actione principale agēs. Et præterea sumēdo naturã, vti sumit D. Aug. cum ait Deũ non facere contra naturã, dicit etiã de homine nihil eũ facere contra naturã nisi dum peccat. Ita enim ait li. 26. cōtra Faustũ, in eodē loco & cap. vnde tu Aug. contra me citasti. Sed nec ipse homo, inquit, quicquam contra naturam facit, nisi dum peccat, qui tamen sup-

plicio redigitur ad naturam. Ad naturalem quippe iusticiæ ordinem spectat, vt aut peccata non fiant, aut esse impunita nō valeant. Hæc August. Secundum hunc modum loquendi August. dum homo oleastrum inserit in bonam oliuam, non diceretur facere contra naturam. Et tamen Diuus Paulus hoc ait esse contra naturam. Vtri plus credam? quem potius imitabor in loquendo, Diuum Paulum an Diuum Augustinum? Sed non est, vt deinde ostendam, Paulo contrarius Augustinus. Et certè Diuus Augustinus dum naturam pro Dei voluntate sumit, in ea illam significatione accipit, in qua nunquam ante eum quisquam voce ea vsus erat, & contra vsitatum loquendi hominum modū. Quod & ingenuè in eo met loco fatetur quem contra me citasti, lib. scilicet 26. contra Faustum, dum ait, Dici humano more solet contra naturam, quod est contra naturæ cursum mortalibus notum. Et lib. 21. de ciuitate Dei cap. 8. Omnia quippe portenta contra naturā dicimus esse. Et lib. 29. contra Faust. ca. 2. de miraculis agens. Quæ quidē contra naturam plerumque appellantur, non quòd naturæ aduersentur, sed quòd naturæ modum, qui nobis est vsitatus, excedant. Vides vt dictus doctor fatetur hominum more miracula

miracula dici, contra naturam, & quo sensu & quomodo id verum sit exponere.

D. Verè me constrictum & captum in verbis meis sentio, dum ab initio, me non esse æquiuocè in eadem oratione voce naturæ vsurum recepi, & dum me dixi vtrobique in in eodem sensu vocem naturæ capere, dum Deum assero nihil contra naturam, sed bene præter aut supra naturam facere. Certè non satis animaduerti, contradicentia & sibi repugnantia me dicere, loquutus sum, vt cõmuniter apud nos ij loquuntur, qui Deũ contra naturam nihil facere aiunt, & miracula non esse contra sed supra aut præter naturam.

A. Vides propter nimiam subtilitatem communem relinquere hominum loquendi modum, aut condẽnare, quid sit. Quidã Romæ me quoque reprehendit, quòd in libris meis miracula contra naturam fieri dixissem, allegans quæ tu ex Diuo Augustino à disputationis huius initiõ adduxisti. Ego tum respondi, me modum loquendi sequi, quem Diuus Paulus Romanis scribens seruauit, & Romanos nunquam modum loquendi magistri & doctoris suæ fidei, condẽnaturos esse, & licere nobis sumere vocem, naturam, in ea significatione, in qua talis doctor fidem Christi Romanis auribus ingerens ea vsus erat,

erat, quo in sensu eam sumendo, verissimum est miracula rectè contra naturam fieri dici. Ad quod nihil respondit, nisi in quadam Doctorum cõgregatione istum dicendi modum condemnatum, & reprobatum fuisse, & ideo cauendum mihi esse ne eo vterer. Ego autem eo me vsurum dixi, donec ecclesia Romana nõ eum reprobasset. D. At, quid de D. August. dices, asserente miracula non esse contra naturam, & modum istum loquendi reprobante. A. Nego D. August. modum istũ loquendi reprobare, & præterea sumendo naturam, vt ipse eam sumit, verum eum dicere, sumendo autem, vt D. Paulus eam sumit, verum esse, miracula contra naturã fieri. D. August. in lib. de vera innocentia cap. 183. aliam dat distinctionem, dicens, quòd miracula nobis videntur contra naturam, non autem Deo. D. Miror quomodo D. August. reprobare modum istum, dicendi miracula esse contra naturam, negaueris. A. Si in suis fontibus integras D. August. sententias legisses, vidisses D. August. modum istum loquendi non reprobare. Nam in eodem loco & cap. lib. 26. contra Faustum, ex quo à principio arma contra me sumpsisti, eum approbat manifestè, sic subiungẽs iis, quę hactenus ex eo loco allegauimus. Sed cõtra naturam, inquit,

inquit, non incongruè dicimus Deum aliquid facere, quod facit contra id, quod nouimus in natura. Hanc enim etiam appellamus naturam, cognitum nobis cursum solitumque naturæ, contra quam Deus cum aliquid facit magnalia vel mirabilia nominantur. Contra illam verò summam naturæ legem, à noticia remotam, siue impiorum, siue adhuc infirmorũ, tam Deus nullo modo facit, quàm contra seipsum non facit. Hæc Augustinus. D. Ita ne scribit Diuus Augustinus? Vellem locũ istum in ipso auctore legere. A. Adest præ manibus doctus August. liber, eum legito. D. Verum est ita eum scribere, atque allegasti, ideo manifestè patet ipsum, modum istum dicendi miracula esse contra naturam, non reprobare, sed approbare, dum ait id non incongruè dici. Sed ego in suo fonte integram Diui Augustini super hac quæstione sententiam nunquam legeram, contentus ea allegatione truncata quæ in scholasticorum aliquorum libris reperitur, idque mihi sic temere reprobandi modũ ipsum loquendi, occasionẽ dedit. A. Idem tibi in ea allegatione cõtigit, quam ab initio ex 21. de ciuitate Dei fecisti. Nam si totum octauum caput legisses, quomodo non reprobet modũ istum loquendi,
quo

quo D. Paulus vsus est, vidisses, nobis tamen inquit, ista, quæ velut contra naturam fiunt, & contra naturam fieri dicuntur (quo more hominum loquutus est Apostolus, dicendo contra naturam, in olea insitum oleastrum, factum esse participem pinguedinis oleæ) & monstra, ostenta, portenta, prodigia nuncupantur, hoc monstrare debent, hoc ostendere, vel præostendere, hoc prædicere, quod facturus sit Deus, quę de corporibus hominum se prænunciauit esse facturum, nulla impediente difficultate, nulla præscribente naturę lege. Hæc ille. Certe nos, qui hominibus loquimur, more hominum cum illis loquendum esse arbitramur, & dum ea quæ fidei sunt hominibus exponimus, vsitato hominibus sermone, loqui debemus, vti & Diuus Paulus fecit: imo Deus ipse cum hominibus, hominum quoque more loquitur, ita ac si ipse homo esset. D. Vt video, non reiicitur modus iste loquēdi à Diuo Augustino, quo nos dicimus Deum facere aliquid contra naturam. At scholastici eum reprobare videntur. A. Nihil minus. Eorum coryphęos Diuum Thomā & D. Bonauenturam consulito, sic loquitur enim D. Tho. in 2.d.18. Contra naturam, inquit, dicitur miraculum fieri, quando in ipsa re est aliquid contrarium ei,

quod fit, sicut si graue sursum moueretur & quod virgo peperit. Idem in Epistolæ ad Hebræos cap. 2. docens quæ differentia sit inter signa & portenta. Portentum, inquit, est quod est contra naturam, vt est partus virginis, suscitatio mortui. Diuus Bonauentura in 2. d. 18. legatur, vbi docet quando dicatur miraculum esse contra naturam, quando verò supra naturam. Allegabo & magistrum sententiarum omnium scholasticorū patrem & vt ita dicam, antesignanum. Is in 11. cap. ad Romanos, sic hac de re scribit. Non incongruè, inquit, dicitur Deus aliquid facere contra naturam, quando facit contra id quod nouimus in natura. Hanc enim etiam naturam appellamus, cognitum nobis cursum & solitum naturæ.

Idem docet D. Anselmus in 11. cap. ad Hebræos. Id enim, inquit, non incongrè dicimus Deum contra naturam facere, quod facit contra id quod nouimus in natura. Hanc enim etiam naturam appellamus, cognitum nobis cursum naturæ, contra quam quum Deus aliquid facit, magnalia vel mirabilia vocantur. Hæc ille. Vides ergo nec scholasticos, nec Augustinum, nec vnquam alium ex antiquis Ecclesiæ Doctoribus, modum istum loquendi reiicere, sed docere quod

non incogruè sic loquamur. Non ergo sine causa negaui, Augustiuum modum istum loquendi reprobasse, qui visitatus & communis est hominibus, & verissimus in eo sensu, in quo naturæ voce vtitur. Si de his plura nosse velis, apologiam primæ actionis nostræ cōtra sacramentarios, legas licebit. Existimo enim sat superque per hæc me purgasse tibi, & modum istum loquendi sufficienter defendisse. D. Vtque ita esse fateor, & confessas tibi manus extendo. Et certè miror, si verum est quod correctores illi quorum superius meministi, modum istum loquēdi reprobarunt, vnde id vt facerent moti fuerint, cum doctissimi viri sint: quandoquidem neque D. Aug. neque quisquam antiquus doctor, vel scholasticus, eum reiecerit, aut absurdum dixerit. Sed quid dico? non miror: quandoquidem eadem qua ego ratione moti & authoritate, id fecerint, & præterea philosophi etiam verbis, dicentis monstra non esse contra, sed præter naturam. Ego quidem firmissimè, ante hanc tuam disputationem tenebam, incongruè eos loqui, qui Deum contra naturam aliquid facere dicerent. Et ideo, est vnde tibi gratias agam, qui ex hoc me errore liberasti. A. Quod ad doctores correctores prædictos spectat, non crediderim,

nisi id videro, eos talem loquendi modum è suis libris, velut incongruum erasisse & expunxisse. Et si id fecissent, ex non lectis in suis fontibus Augustini authoritatibus suprà allegatis, errandi eos occasionem sumpsisse, vti & tu fecisti, dicendum erit. Quod ad philosophum spectat, aliter ipse naturam quàm tu, accipiebat: & nos Theologi non ab eo, sed potius à Paulo, quæ fidei sunt loqui discimus. Et vt verum fatear, mirum apud exteros videretur, quod Romæ modus loquendi fidei Romanorum magistri, Diui scilicet Pauli, tanquam incongruus & absurdus reiceretur. Vnde non dubito quin in congregatione indicis corrigendi fine per Theologos doctores prædicti, si verum est quod de illis audisti, & modus loquendi Apostoli Pauli relinquendus in vsu, vti & semper hactenus fuit. Scis enim doctissimos habere congregationem prædictam viros, tum illustrissimos Cardinales, tum Doctores Theologos, qui antiquum & consuetum loquendi modum seruatum apud Romanos curabunt.
D. Aliud à doctissimis viris expectari non potest, nec debet. Quare vt video, tuto & tu de cætero ita loqui poteris, & dicere cum Diuo Thoma, partum virginis esse contra naturam, & quod plus est, cum Diuo Hierony-

nymo in Epistola ad Demetriadem, de virginitate seruanda dicere, quod virginitas etiam ipsa, sit contra & vltra naturam.

Sed restat aliud à me obseruatum,quod te nulla existimo ratione defendere posse. In tui namq; libri prologo ad lectorē,veteris & noui testamenti mentionem faciens, vtrumque instrumentum, pro vtroque testamento dixisti,quem modum loquendi, vt nouum, vt Erasmianum aliquos viros doctos Romæ reprobare,imò abhorrere,& exhorrere vidi, cum in eam in tuo quoq; de libero arbitrio lib. vocē incidissent. A. Scio quēdā Romę magnę autoritatis magistrū,vocem illā vt Erasmianā in nostro lib. exhorruisse. Nam vt vir est pius, & fidei zelo ardēs, prophanas quasque vocū nouitates detestatur, & ideo cum vocem istam,instrumentū,nouam ad significandum sacram scripturā arbitraretur, eam abhorruit. Ego quidem ab initio probandæ tantum patientiæ meæ causa, eam reiicere illum existimauerā, verùm quū orationē quandam,de Domini Trāsfiguratione in capella coram pontifice dicendam,pro quodam patre composuissem, atque in ea de industria vt ab serio vocem istam nouam arbitraretur probarem, verba Diui Leonis Papæ, tacito tamen eius nomine, in quibus vetus testa-

mentum veterum protestationē instrumenta, idque in eo sermone, qui in festo transfigurationis in Ecclesia Romana ex breuiario per bonæ memoriæ Pium quintum correcto legitur, vocat inseruissem, eamque postea dictus pater illi corrigendam obtulisset, ex phrasi meam esse prædictam orationem sensit, atque protinus verba ista Leonis Papæ deleuit, dicens Erasmianā esse phrasim istam loquendi. Quod cum mihi pater ille retulisset, non potui non aliqualiter commoneri, cum & ipse Erasmum omnésque prophanas eius nouitates, ita atque quispiam alius detester. Fateor equidem mihi puero aliquot eius libros, discendæ linguæ latinæ gratia, à præceptoribus meis prælectos fuisse, & illius dictionem & eloquentiam mihi placuisse semper, at nouitates vocum, & dogmata eius, Ecclesiæ catholicę fidei cōtraria abhorruisse me semper, & abhorrere etiamnum in hodiernum vsque diem. Quare veritus ne quis forsan, dicti magistri authoritate motus, quicquam cum prophanis Erasmi nouitatibus commune habere me arbitretur, vel etiam suspicetur, cum dicti magistri pace & bona venia, hic, non nouum esse, neque Erasmianum, sacram scripturam instrumentum vocare, ostendere me oportet ne ta-

cendo,& dissimulando,Erasmianum me esse, non christianum & catholicum, ipsa mea taciturnitate fateri videar. D. E re tua est, id fecisse. Nam aliquámultos ista voce offensos fuisse noui, vbi dicti magistri super eius nouitate & Erasmeitate, vt ita dicam,relationem audissent.Non enim ferre debes, vt Erasmianus dicaris.Male quippe nomen istud apud pios quosque catholicos, & Romæ & alibi sonat. Sed vellē Leonis Papę verba in medium afferres, nam non memini legisse me vnquam apud eum,vel alium antiquum Ecclesiæ doctorem , vetus testamentum instrumentum appellatum. A. Id lubens fecero. Cum enim piissimus iste pontifex & eloquentissimus,rationē redderet,cur Moyses & Helias in Christi transfiguratione,cum eo apparuerint loquentes, qui legem, inquit, & prophetas significabant, atq; id ideo factum dixisset vt verissime in illa quinque virorum præsentia , compleretur quod dictum est. In duobus vel tribus testibus stat omne verbū. (quinque virorum dixit,quia cum Moyse & Helia numerat tres Apostolos , qui & ipsi præsentes aderant)sic deinde loquitur, Quid hoc stabilius , quid firmius verbo, in cuius prædicatione veteris & noui testamēti concinit tuba,& cum Euangelica doctrina,anti-

quarum protestationum instrumenta concurrunt? Adstipulant enim sibi inuicem, vtriusque fœderis paginæ & quem sub velamine mysteriorum præcedentia promissitant signa, manifestum atque perspicuum, præsentis gloriæ splendor ostendit. Hæc ille. Vides qui, veter. testamenti cum nouo conuenientiam dicere cupiens, nouum testamentum, Euangelicam doctrinam vocet, & vetus, antiquarum protestationum instrumenta. Nam cum ait, cum Euangelica doctrina veterum protestationum concurrunt instrumenta, nihil aliud dictum volebat, quàm vetus cum nouo, testamentum conuenire. D. Id ita esse liquet, sed instrumenta dixit, non instrumentum. A. Quid refert? idem etenim est, siue instrumentum, siue instrumenta veterum protestationum dixeris. Et in breuiario Romano, Romę impresso, ista istius Romani pontificis verba continentur. Et quis, quæso, nisi demēs, sanctissimum istum pontificem Erasmianum fuisse dixerit? D. Ac solum istum proferre potes, qui isto nomine sacram scripturam appellet. A. Ex antiquissimis doctoribus latinis Tertullianum, proferam quem magistrum Diuus Cyprianus vocare Hieronymo teste solitus erat. Is in apologetico contra gentes, tribus ad minus in lo

in locis, vetus testamentum sub nomine instrumenti citat. Capite siquidem 17. cum naturaliter omnes vnum Deum nosse, & inuocare in afflictionibus suis consueuisse docuisset, subinfert, Sed quo plenius & impressius, tam ipsum, quàm dispositiones eius, & voluntates adiremus, instrumentum adiecit literaturæ, si quis velit de eo inquirere, & inquisito inuenire, & inuento credere, & credito deseruire. Cap. autem 19. de veteris testamenti libris agens, instrumenta eos vocat his verbis, Primam inquit instrumentis istis fidem, summa antiquitas vendicat. Idem facit & Cap. 21. sic scribens, Sed quoniam ædidimus antiquissimis Iudæorum instrumentis, sectam istam suffultā esse (loquitur de christianismo) quam aliquādo nouellam, vt Tyberij temporibus plerique sciunt, &c.

D. Maximę antiquitatis viri testimonium protulisti. At quia iste ab Ecclesiæ vnitate, & fide defecisse legitur, opus est ex Catholicis Ecclesiæ Doctoribus, vnum saltem aut duos ostendas, sic sacram scripturam appellasse. A. Hic mihi primus in memoriam iocurrit, acerrimus ille hæreticorum insectator, Diuus Hieronymus, qui pluribus in locis voce ista, sacram allegans scripturā vtitur. Vti in Commentariis super Esaiam prophetam, expo-

meus istud prophetæ ca. 8. Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. Vbi dicit verba ista vocem esse Dei loquentis ad Prophetam. Quia, inquit, factus est Dominus in petram scādali, & lapidem offensionis, duabus domibus Israel. Et missum ad se Emanuel suscipere noluerūt. Liga testimonia veteris instrumenti, & trade illa discipulis meis. Et in 14. cap. Matthæi idem facit, scribens, Audi Manichæe, bonæ margaritæ sunt lex, & Prophetæ, & notitia veteris instrumenti. Idem in Epistola ad Dardanum de terra promissionis. Et mihi inquit, in Euangelio promittuntur regna cœlorum, quæ instrumentum vetus, omnino nō nominat. Idem in præfatione in quatuor Euāgelia ad Damasum Papā. Neque verò ego de veteri disputo instrumento, quod à 70. senioribus in Græcā linguam versum, tertio gradu vsque ad nos peruenit. Et post pauca, Prætermitto eos codices, quos à Luciano & Esichio nuncupatos, paucorum hominum asserit praua contentio, quibus vtique nec in toto veteri instrumento post 70. interpretes, emendare quid licuit, nec in nouo profuit emendasse. Vides vt iste, qui non fuit Erasmianus, vtrunque testamētum vetus & nouum, instrumentum vocet. En quinque tibi loca ex eo adduxi, in quibus instrum

instrumenti nomine, sacram scripturam appellat. Annon hæc tibi sufficiút ad ostendendum me Hieronymianú potius, quàm Erasmianum esse, dum sacram paginam instrumétum voco? D. Sufficere certè, tum mihi, tum æquo cuique lectori debent. Verùm an Augustinus ea quoque voce vtatur scire vellem. A. Vtitur & ipse ista voce vti & Hieronymus, & testamentum vetus melius dicit vocari instrumentum quàm testamentum. Audi quid lib. 3. cap. 4. eorum quos contra duas Epistolas Pelagij scripsit dicat. Alter, inquit, dicitur iam obtinente loquendi consuetudine, vetus testamentum lex & Prophetæ, qui vsque ad Ioanné perseuerarunt, quod distinctius vetus instrumentum, quàm vetus testamentum vocatur. Audis vt distinctius vetus instrumentum, quàm vetus testamentum, sacram veteris fœderis paginam vocari dicat, & asserat. D. At de nouo testamento vellem scire, an & illud instrumentum vocet. A. Hoc etiam instrumentum appellat. Nam in Epistola ad Casulanum de Priscorum ieiuniis disputans, sic tandem concludit. Ego in Apostolicis scripturis, totoque instrumento (quod appellatur testamentum nouum) animo id reuoluens, video præceptum esse ieiunium. Hæc Augustinus. Ab his ego

doctor

doctoribus, non ab Erasmo, sacram vtriusque fœderis paginam instrumentum vocare didici. Et vt verum fatear, non memini apud Erasmum comperisse me sacram scripturam instrumentum vocatam. Et hodie in manus eius nouum testamentum Græcum & Latinum sumpsi, & non instrumentum nouum, sed testamentum nouum, pro titulo eius liber habet. D. Satisfecisti mihi, & egregiè te à nouitatis præsumptione Erasmianæq; curiositatis nota abluisti, dum duos tam insignes antiquorum Ecclesiæ doctorum coryphæos, pro tua in medium adduxisti parte.

A. Equidem D. Hieron. legenti, vix quicquam frequentius occurrit, quàm instrumenti voce sacram scripturam appellari. Legatur in proœmio lib.16. in Isaiam, vbi ait epistolam Pauli ad Romanos, omnem pene de veteri structam esse instrumento, & regulæ suæ meminit, super trāslatione veteris instrumenti. Legatur in cap.1. Esaiæ, vbi hæc verba habet, Beatus qui seminat in eloquiis scripturarum, tam veteris quàm noui instrumenti. Et paulò antè, In veteri quoque dicitur instrumento, quòd populus vocem viderit. In 2. cap. Esaiæ, monet vt recipiamus vetus instrumentum. In prologo Bibliæ, libros Paralipomenon, Epitomen dicit esse veteris instrumenti.

strumenti. In dialogis aduersus Pelagianos, Da, inquit, testimonium noui instrumenti. Item in Epistola ad Amandum, tom.3. Multa inquit huiusmodi, in veteri reperies instrumento. In Epistola ad Algasiam de 11. quæstionibus. Vbicunque, inquit, de veteri instrumento Euãgelistæ & Apostoli testimonium protulerunt. In eadem Epistola q.7. In nouo autem instrumento, in quo bonitas & clementia est, innumerabiles extitêre martyres. Et quæst.10. Multis, inquit, veteris instrumenti testimoniis probari potest. Et paucis interiectis, Legislator, inquit, ad vtrunque respondet, & noui & veteris instrumenti. Et alibi in eadem quæstione. Per elementa mundi, lex Moysi & omne vetus instrumentum intelligendum est. Et in Epistola ad Suniam & Fretelam, Recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo nouum scriptum est instrumẽtum. Et lib.2. in Epistolam ad Galatas. Hunc morem habeo, vt quotiescunque ab Apostolis de veteri instrumento aliquid sumitur, recurram ad originales libros. Et stupeo rem me vertis, tot ex vno Hieronymo loca proferendo, in quibus libros sacræ scripturæ, vetus vocat & nouum instrumentum. Vnde magnam nostram fuisse temeritatẽ, ne dicam ignorantiam, video, dum vt Erasmianam, vo

cem

cem istam reiecimus. Hoc parum diligenter nos in antiquorum doctorum lectione versatos esse arguit. A. Magnam certè id mihi mirabilitatem facit, cum in primo Bibliorum prologo, quod communiter omnibus Biblijs præponitur, & in primo etiam noui testamenti prologo, voce ista scriptura appelletur. Et glossa in primum Bibliorum prologum, quæ nihil refert Erasmianū, rationem reddens cur instrumentum scriptura vocetur, ideo id esse dicat, quòd nos in doctrina fidei & morum instruat. Nullos autem frequentiores in manibus libros haberi, Ecclesiasticus doctor debet quàm Bibliorū librum & Breuiarium, in quibus cum scriptura instrumentum vocetur, non fine causa permiror, vnde factum sit, vt nouam & inusitatam Catholicis vocem, quisquam eam dixerit.

D. Ne plura in nos dixeris, me etenim nostræ in legendis scriptoribus ecclesiasticis socordiæ pudet. A. Is qui commentarios illos in Epistolam ad Romanos scripsit, qui inter D. Hieron. opera habentur, ea quoque voce vtitur, sic in 7. cap. ad Roman. scribens, Deus nonnunquam in veteri instrumento bonus, & in nouo dicitur iustus. Ex posterioribus autem Ecclesiæ Doctoribus Rupertum etiam adduxero, qui plus quàm à 500.

annis

annis doctisſimos in aliquammoltos ſcripturæ libros commentarios conſcripſit. Is in prologo ſuper Caotica Canticorũ ea quoque voce vtitur. Sunt, inquit, in ſcriptura veteris inſtrumeoti Cantica nota & ioſigoia ſex, iſtud autem eſt ſeptimũ & nouiſsimum. Hęc ille. Ex modernis quoqoe multos adducere etiam poſſem ea voce indifferẽter, dum ſacræ ſcripturæ meminerũt vtẽtes. Inter quos Catharinus de ordioe S. Dominici vir egregie doctus & Pius, librũ ſcripſit de ſcripturis canonicis. Romæ anno domini 1551. impreſſum, de quibus ſic ait, Dicuntur enim, inquit, ſcripturę veteris & noui teſtamenti, quia pacta & fœdera Dei, inita cum hominibus coo tinent, quæ appellatio nulli alij ſcripturæ tribuenda eſt. Vnde & ad eandem ſignificationem, dicuntur ioſtrumentum vetus & nouum, quia ſcripturę quæ pacta contioeot, inſtrumenta vocari conſueuerunt.

Idem io libro, quem ioſcripſit Claues ſacræ ſcripturæ, de primæ clauis vſu differens, ſic ait, Denique cum ipſa ſcriptura, vt ſuo loco dicetur, nihil aliud cõtioeat, quàm legem, & pactum, & teſtamentum, quæ dignatus eſt nobiſcum diſponere Deus, & io hominum inſtrumẽtis nullus ferat vel minimum mendacium, ſed vniuerſa reddantur ſuſpecta, ſi

quid

quid à veritate comperiatur alienum, quanto id magis,obsecro,in instrumentis diuinis? Ob hoc enim instrumenta vocata sunt à priscis patribus,vetus & nouum testamentum. Hoc idem in eodem lib. tit. de prima diuisione scripturarum asserit & dicit.

Driedo quoque Louaniēsis doctor in eo libro,quem de Ecclesiasticis scripturis inscripsit & dogmatibus, rationem reddit, cur sacra scriptura instrumentum appelletur. Earundem inquit,scriptutum canonem,eruditissimi viri instrumentum vocant, quia illic instruitur quisque pro sua salute,quid sperare,quid agere debeat. Deinde, & non absurdè forsan sortitur nomen instrumenti, ob id, quòd sit scriptura authentica, probatissimis scribis ac testibus obsignata, non suspectis de falsitate vlla. Hæc ille. Georgius quoq; Ederus libro 1. partitionum theologicarum tab. 8. in qua de diuinę scripturæ diffinitione, variisque appellationibus agit, eandem quam Driedo, cur ab antiquis instrumētum vocata sit, rationem affert. In catholicorum doctorū nostræ ætatis libris passim obuiam reperire est, scripturam sacram instrumētum vocari. Sic Alphōsus de castro in suis cōtra hęreses libris,sic Melchior Canus episcopus Canarien. & ipse dominicanus, in doctis

illis

illis suis de locis theologicis libris indifferenter sacram scripturam, modo testamentum, modo instrumentum vocant, qui certe optimi sunt catholici, & nullo pacto Erasmiani. Idem mihi post tot & tantos doctores facere licuisse, arbitratus sum. Et quod ego vnus inter tot doctores, ob hanc vocem Erasmianus dicar, & nouitatis vocũ sectator, quo id iure fiat, videto. D. Ex his manifeste apparet sine causa hanc tibi notam inuri, & non dubito, si dictus magister ista legerit, quin(vt est pius)palinodiam canat, & Hieronymianũ, vel Augustinianũ te de cætero, nõ Erasmianum sit vocaturus. Sed vnum illum mouisse ad vocem hanc explodendam puto, quod scilicet ea Erasmus quoque vsus sit. A. An ea vsus sit nescio. Hoc vnum scio me non ab Erasmo, sed à patribus eam didicisse. Sed ista eius reiiciendi hanc vocem causa friuola est & nulla. Nam si ideo, quia Erasmus ea vsus est, debet nobis propbana esse, sequeretur omnes latinas voces, & vocẽ etiam testamentũ, quibus vsus est, prophanas nobis esse debere Sed hic verbis respõdebo August. Oues non debere pelles suas deponere, si aliquando eis lupi se contegant Ita dixero, etsi lupi hæretici vocibus aliquã-

do vtantur aut abutantur, quibus vsi sunt Ecclesiæ doctores, non propterea ita nos desipere debere, vt eas abiiciamus, illarumque nos vsu priuemus. D. Iam nihil superest, quod hic tibi obiicere queam. Vicisti. Erasmiana vox ista non est, propbana non est nouitas, sed sacrata & sancta vetustas. D: Aliud in tuo libro obseruaui, vnde Erasmianum te aliqu suspicabuntur. A. Quid illud est? D. Deum nempe saluatorem, etiam seruatorem vocas. Et quia Erasmus sic quoque Christum vocare solitus est, piis aliquot viris, ab ea voce velut propbaoa nouitate, abstinere nos debere visum est. A. Si primus ipse Deū seruatorem vocasset, profectò abstinendum ab ea appellatione censuissem, maxime si ipse saluatoris vocem vt parum latioam, qua passim scriptura Deum honorat, repudiauit. Quod ao fecerit, igooro, sicut vbi vel quo in loco Seruatorem Christum appellet, adeo parum in librorum eius, quos de theologia scripsit, lectione versatus sum. Quo i id vocem seruatoris spectat, non negabis id, quod per eam significatur Deo con uecire. Seruator enim est, qui seruat aliquē. Seruare autem significat liberare, saluare custodire, tueri, etiam inhabitare, vt apud Virgilium

lium Georg. 4. Centum quæ syluas, centum quæ flumina seruant. Hæc omnia Deo patri, & filio eius Christo maxime conueniunt. Ipse est, qui nos saluat, liberat, custodit, tuetur, inhabitat. Vnde in oratione, quam Christus ad patrem in cœna habuit, sic patrem pro discipulis suis precatur, Pater sancte, inquit, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos. Cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi ego custodiui, &c. Quę verba exponit Diuus Hieronymus lib. 2. aduersus Pelagianos, in hunc modum, Nō dixit, inquit, dedi eis liberi arbitrij potestatem, vt ipsi se suo labore saluarent, sed ego custodiui, ego seruaui, denique infert, non peto vt auferas eos de mundo, sed vt custodias illos à malo. Quæ verba sic communis interpretatio habet: non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo. Ergo seruare Deo optimè conuenit. Et cū seruator sit, qui seruat, perfectò qui saluat, qui custodit, qui liberat, qui tuetur nos, optime seruator dicetur. Quum ergo sit verum quòd sit seruator, non solum saluator, nescio Deum saluatorem nostrum, seruatorem quoque appellare cur timere debeas. D. De re per hanc vo-

tem significata, quin Deo conueniat non dubitamus, sed quia ab Erasmo primùm Deus seruator vocatus est, ideo piæ aures in ea offenduntur. Ob id maxime quod dedignetur cum scriptura & antiquis Deum Saluatorem dicere. A. Ego vtrumque iunxi, vocans simul Deum saluatorem & seruatorem nostrũ. Quod autem in ea aliqui offendantur, id etiam noui. Nam Romæ cum conciones latinas in quadragesima publice, in Ecclesia nostræ dominæ de Ara cæli nuncupata, haberem, contigit vt semel Deum saluatorem, & seruatorem nostrum appellarem. Hęc duo simul epitheta illi tribuens, vnde me quidam amicus admonuit, ea voce offensos tum aliquos fuisse, & in ea scandalum passos, atque apud aliquem Cardinalem ob id de me conquestos, qua de re non parũ tum admirabar: neque enim vocem illam pro Erasmiana & prophana nouitate, à quoquam tum haberi existimabam, A. Imò maxime Erasmianam esse cõstat, cum ante Erasmum nemo Deum seruatorem vocarit, & scriptura tale epithetum Deo nunquam tribuat: talia enim eos dicẽtes audiui, qui vocem istam vt Erasmianam abhorrent. A. Hoc parum eos in sacra scriptura versatos ostendit, & temere

mete quæ ignorant coodemoare. Ego enim à Salomone,omnium retro hominum,scriptura teste,sapientissimo voce ista Deum honorare didici,idque ex iis libris,quos omnes pro canonicis habent. D. Mira mihi dicis, & inaudita. Nam & ego in eorum hactenus sententia fui,qui vocem hanc vt nouam,vt à scriptura alienam,reiici debere arbitrati sunt, quam si à Salomone non ab Erasmo accepisse te probaueris, nihil mihi reliquum erit, quod tibi super eius obiciam vsu. A. Legas 24.Prouerbiorum eius caput, & vt Deū seruatorē animæ nostræ vocet,inuenies.Eius hæc sunt verba; Erue eos qui ducuntur ad mortem,& qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.Si dixeris.Vires nō suppetunt: qui inspector est cordis,ipse intelligit, & seruatorē animæ tuæ nihil fallit,redditque hominι iuxta opera sua. Vides quomodo eum, quem nihil fallit,qui cordis est inspector,qui voicuiq; iuxta opera sua redditurus est, seruatorem animæ nostræ vocarit. Quis enim magis aoimæ nostræ seruator, quàm Christus Dei filius,Deus de Deo,qui constitutus est omoium hominum iudex, vt reddat vnicuique iuxta opera sua? Huic enim optimo dicere iure,reginæ Austri ad Salomonē ver-

bis possumus. Diligit dominus Israel, & vult seruare eum in æternum, & ideo posuit te super eum regem, vt facias iudicia atque iustitiam. De quo & regius psaltes Dauid cantat. Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Iste enim est rex constitutus super Syon, super Israel secundum spiritum, vt seruet eum in æternum. D. Non dubito quin optimo illi titulus iste iure conueniat, nouitas tātùm displicebat vocis, at nunc cùm scriptura ea Deū appellet, Christus autem Deus noster sit, non video cur non, & ista nos voce, eū ornare debeamus. A. Cum linguæ Hebraicę Parisiis operam darem, mihi præceptor dicere solitus erat, Hebręos nullam vocem satis eloquentem in sua lingua, aut pure Hebræam arbitrari, nisi quam in sacra scriptura inuenire possunt. Ego pariter iis libenter vocibus & loquendi modis vt elegantissimis vtor, quibus sacram scripturam vti comperio, etiam si Latinis parum Latina aliqua vox, vel phrasis videatur. D. Sic Christiano cuilibet faciendum est. At hic forsan aliquis tibi obiiciat Christum antequam esset factus homo, recte seruatorem vocari potuisse, non autem deinceps. A. Nihil amisit eorum, quæ vt Deo illi conueniebant, ex

ex eo, quod homo factus est, & ideo non minus nunc, quàm antea seruator est animæ nostræ. Eadem enim ratione diceres, neque eum saluatorem dicendum esse, quando quidem & sæpissime in veteri testamento Deus saluator dictus est, antequam factus esset homo. Sic enim iurabat quondã rex Saul 1. Reg. 15. Viuit Dominus saluator Israel. Sic Dauid rex Deum laudat, cantans 2. Reg. 22. Dominus petra mea, & robur meum, & saluator meus. Et Danielis 6. liberatorem & saluatorem vocat rex Babylonis Deum Israel. Num ideo postquam Deus homo factus est, non erit amplius liberator & saluator? D. Aequum id non esset. A. Sicut ergo Deũ saluatorem, seruatorem, liberatoré, & rectorem antiqui fideles antequam homo factus esset vocabant, nunc postquam homo factus est, ita quoque vocetur, æquum est. D. Non habeo quod super hoc tibi amplius opponam. A. Postquã enim scriptura sic Deum appellat, & vocis significatio reuera Deo cõuenit, vel cui maximè, non debeo, quia Erasmus ea vsus est, prophanam vel nouam eam reputare, neq; enim reiicere nostra debemus, si quando alieni ea vsurpârint, sed ab iniustis ea repetere vsurpatoribus, vtque nostra

seruate,atque iis cum opus fuerit vti. Et ideo cum ouoquam Ecclesia vocem hãc aut eius vsum teptobauerit, & fidem,& spem, quam in Deum habemus excellẽter exprimat, oon est quod quisquam, propter aliquorum scandalum qui ex ignorantia sacræ scripturæ vocem hanc non sacram, sed prophanam arbitrati sunt, ab eius abhorreat vsu. Scandalum namque tale acceptum ab eis est, non illis datum, sed facile scandalum tolletur eorum, si doceantur vocem hanc sacrã esse. Et Sapientissimo Salomoni in vsu fuisse. D. Est aliud à me [illegible] [illegible] nem [illegible] certam de veritate fidei nostræ, de perpetua Mariæ virginitate, scientiam habere nos posse. Hic scire vellem quomodo ea, quæ fidei sunt per sciẽtiam, vera esse cognosci queant. A. Nonne Theologiam scientiam esse credis? D. Aliqua, quæ in Theologia tractantur per scientiam, alia per solam fidem cogoosci possuot. A. Ego hoc generaliter mihi assumo, de totius scilicet fidei catholicæ veritate, scientiam habere nos posse. D. Id quomodo intelligas, explicato. A. Nonne credis omne eos creatum siue absolutum fuerit, siue respectiuum in aliquo reponi

institutum in nostro libro diximus, istum cœlibatum manifestè cõtineri arbitror. Scio multos ex Ecclesiæ doctoribus verba ista sic interpretatos esse, Si quis venit ad me, & non odit vxorem, acsi generaliter ad omnes pertinerent Christianos, quod verum non est, nisi seorsum sequendo mysticum moralem. Nam quoad literalem sensum, ad solos referuntur eos, qui Christi esse discipuli cupiunt. Quòd iste sit literalis sensus, in quo ea exposui & allegaui, ex sequentibus principiis probatur.

Primò. Nunquã in Euangelio Christum vel Euangelistas nomen discipuli, nisi ad significandum distinctum quendam à reliqua cognoscitur persuasionis fidei nostræ causam Deum esse, idcirco eo firmius, & euidentius, ex eo, quod de incredibilibus est, verum esse demonstratur. Fateor quidem materiam fidei pro maiori parte, incredibilia dogmata esse, quæ nulla possunt naturali ratione probari, tamen istud ens, quod fidem dicimus, & pro obiecto incredibilia secũdum naturam habet, dico scibile esse, de quo habere scientia potest. Nam probato propter naturalem eorum quæ creduntur incredibilitatem, persuasionis fidei nostræ causam Deũ

neus istud prophetæ ca.8. Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. Vbi dicit verba ista vocem esse Dei loquentis ad Prophetam. Quia, inquit, factus est Dominus in petram scādali, & lapidem offensionis, duabus domibus Israel. Et missum ad se Emanuel suscipere noluerũt. Liga testimonia veteris instrumenti, & trade illa discipulis meis. Et in 14.cap. Matthæi idem facit, sic scribens, Audi Manichææ, bonæ margaritæ sunt lex, & Prophetæ, & notitia veteris instrumenti. Idem in Epistola ad Dardanum de terra promissionis. Et mihi inquit, in Euangelio promittuntur regna cœlorum, quæ instrumentum vetus, omnino nō nominat. Idem in præfatione in quatuor Euāgelia ad Damasum Papā. Neque verò ego de veteri disputo instrumento, quod à 70. senioribus in Græcā linguam versum, tertio gradu vsque ad nos peruenit. Et post pauca, Præmitto eos codices, quos à Luciano & Esichio nuncupatos, paucorum hominum asserit praua contentio, quibus vtique nec in toto veteri instrumento post 70. interpretes, emendare quid licuit, nec in nouo profuit emendasse. Vides vir iste, qui non fuit Erasmianus, vtrunque testamētum vetus & nouum, instrumentum vocet. En quinque tibi loca ex eo adduxi, in quibus instrum

instrumenti nomine, sacram scripturam appellat. Annon hæc tibi sufficiût ad ostendendum me Hieronymianũ potius, quàm Erasmianum esse, dum sacram paginam instrumētum voco? D. Sufficere certè, tum mihi, tum æquo cuique lectori debent. Verùm an Augustinus ea quoque voce vtatur scire vellem. A. Vtitur & ipse ista voce vti & Hieronymus, & testamentum vetus melius dicit vocari instrumentum quàm testamentum. Audi quid lib. 3. cap. 4. eorum quos contra duas Epistolas Pelagij scripsit dicat. Alter, inquit, dicitur iam obtinente loquendi consuetudine, vetus testamentum lex & Prophetæ, qui vsque ad Ioannē perseuerarunt, quod distinctius vetus instrumentum, quàm vetus testamentum vocatur. Audis vt distinctius vetus instrumentum, quàm vetus testamentum, sacram veteris fœderis paginam vocari dicat, & asserat. D. At de nouo testamento vellem scire, an & illud instrumentum vocet. A. Hoc etiam instrumentum appellat. Nam in Epistola ad Casulanum de Priscorum ieiuniis disputans, sic tandem concludit. Ego in Apostolicis scripturis, totoque instrumento (quod appellatur testamentum nouum) animo id reuoluens, video præceptum esse ieiunium. Hæc Augustinus. Ab his ego
doctor

doctoribus, non ab Erasmo, sacram vtriusque fœderis paginam instrumentum vocare didici. Et vt verum fatear, non memini apud Erasmum comperisse me sacram scripturam instrumentum vocatam. Et hodie in manus eius nouum testamentum Græcum & Latinum sumpsi, & non instrumentum nouum, sed testamentum nouum, pro titulo eius liber habet. D. Satisfecisti mihi, & egregiè te à nouitatis præsumptione Erasmianæq; curiositatis nota abluisti, dum duos tam insignes antiquorum Ecclesiæ doctorum coryphæos, pro tua in medium adduxisti parte.

A. Equidem D. Hieron. legenti, vix quicquam frequentius occurrit, quàm instrumenti voce sacram scripturam appellari. Legatur in proœmio lib. 16. in Esaiam, vbi ait epistolam Pauli ad Romanos, omnem pene de veteri structam esse instrumento, & regulæ suæ meminit, super trãslatione veteris instrumenti. Legatur in cap. 1. Esaiæ, vbi hæc verba habet, Beatus qui seminat in eloquiis scripturarum, tam veteris quàm noui instrumenti. Et paulo antè, In veteri quoque dicitur instrumento, quòd populus vocem viderit. In 2. cap. Esaiæ, monet vt recipiamus vetus instrumentum. In prologo Bibliæ, libros Paralipomenon, Epitomen dicit esse veteris instrumenti.

ſtrumenti. In dialogis aduerſus Pelagianos, Da, inquit, teſtimonium noui inſtrumenti. Item in Epiſtola ad Amandum, tom.3. Multa inquit huiuſmodi, in veteri reperies inſtrumento. In Epiſtola ad Algaſiam de 11. quæſtionibus. Vbicunque, inquit, de veteri inſtrumento Euāgeliſtæ & Apoſtoli teſtimonium protulerunt. In eadem Epiſtola q.7. In nouo autem inſtrumento, in quo bonitas & clementia eſt, innumerabiles extitère martyres. Et quæſt.10. Multis, inquit, veteris inſtrumenti teſtimoniis probari poteſt. Et paucis interiectis, Legiſlator, inquit, ad vtrunque reſpondet, & noui & veteris inſtrumenti. Et alibi in eadem quæſtione. Per elementa mundi, lex Moyſi & omne vetus inſtrumentum intelligendum eſt. Et in Epiſtola ad Suniam & Fretelam, Recurrimus ad fontem Græci ſermonis, quo nouum ſcriptum eſt inſtrumentum. Et lib.2. in Epiſtolam ad Galatas. Hunc morem habeo, vt quotieſcunque ab Apoſtolis de veteri inſtrumento aliquid ſumitur, recurram ad originales libros. D. In ſtuporem me vertis, tot ex vno Hieronymo loca proferendo, in quibus libros ſacræ ſcripturæ, vetus vocat & nouum inſtrumentum. Vnde magnam noſtram fuiſſe temeritatē, ne dicam ignorantiam, video, dum vt Eraſmianam, vo cem

eam istam reticemus. Hoc parum diligenter nos in antiquorum doctorum lectione versatos esse arguit. A. Magnam certè id mihi mirabilitatem facit, cum in primo Biblio rum prologo, quod communiter omnibus Biblijs præponitur, & in primo etiam noui testamenti prologo, voce ista scriptura appel letur. Et glossa in primum Bibliorum prologum, quæ nihil refert Erasmianū, rationem reddens cur instrumentum scriptura vocetur, ideo id esse dicat, quòd nos in doctrina fidei & morum instruat. Nullus autem frequentiores in manibus libros habere, Ecclesiasticus doctor debet quàm Bibliorū librum & Breuiarium, in quibus cum scriptura instrumentum vocetur, non sine causa permiror, vnde factum sit, vt nouam & insolitatam Catholicis vocem, quisquam eam dixerit.

D. Ne plura in nos dixeris, me etenim nostræ in legendis scriptoribus ecclesiasticis socordiæ pudet. A. Is qui commentarios illos in Epistolam ad Romanos scripsit, qui inter D. Hieron. opera habentur, ea quoque voce vtitur, sic in 7. cap. ad Roman. scribens, Deus non nunquam in veteri instrumento bonus, & in nouo dicitur iustus. Ex posterioribus autem Ecclesiæ Doctoribus Rupertum etiam adducerem, qui plus quàm à 500.

annis

annis doctissimos in aliquam multos scripturæ libros commentarios conscripsit. Is in prologo super Cantica Canticorũ ea quoque voce vtitur. Sunt, inquit, in scriptura veteris instrumenti Cantica nota & insignia sex, istud autem est septimũ & nouissimum. Hęc ille. Ex modernis quoque multos adducere etiam possem ea voce indifferẽter, dum sacræ scripturæ meminerũt vtẽtes. Inter quos Catharinus de ordine S. Dominici vir egregie doctus & Pius, librũ scripsit de scripturis canonicis. Romæ anno domini 1551. impressum, de quibus sic ait, Dicuntur enim, inquit, scripturę veteris & noui testamenti, quia pacta & fœdera Dei, inita cum hominibus continent, quæ appellatio nulli alij scripturæ tribuenda est. Vnde & ad eandem significationem, dicuntur instrumentum vetus & nouum, quia scripturę quæ pacta continent, instrumenta vocari consueuerunt.

Idem in libro, quem inscripsit Claues sacræ scripturæ, de primæ clauis vsu differens, sic ait, Denique cum ipsa scriptura, vt suo loco dicetur, nihil aliud cõtineat, quàm legem, & pactum, & testamentum, quæ dignatus est nobiscum disponere Deus, & in hominum instrumẽtis nullus ferat vel minimum mendacium, sed vniuersa reddantur suspecta, si quid

quid à veritate comperiatur alienum, quanto id magis, obsecro, in instrumentis diuinis? Ob hoc enim instrumenta vocata sunt à priscis patribus, vetus & nouum testamentum. Hoc idem in eodem lib. tit. de prima diuisione scripturarum asserit & dicit.

Driedo quoque Louaniēsis doctor in eo libro, quem de Ecclesiasticis scripturis inscripsit & dogmatibus, rationem reddit, cur sacra scriptura instrumentum appelletur. Earundem inquit, scripturum canonem, eruditissimi viri instrumentum vocant, quia illic instruitur quisque pro sua salute, quid sperare, quid agere debeat. Deinde, & non absurde forsan sortitur nomen instrumenti, ob id, quòd sit scriptura authentica, probatissimis scribis ac testibus obsignata, non suspectis de falsitate vlla. Hæc ille. Georgius quoque Ederus libro 1. partitionum theologicarum tab. 8. in qua de diuinę scripturæ diffinitione, variisque appellationibus agit, eandem quam Driedo, cur ab antiquis instrumētum vocata sit, rationem affert. In catholicorum doctorū nostræ ætatis libris passim obuiam repente est, scripturam sacram instrumētum vocari. Sic Alphōsus de castro in suis cōtra hęreses libris, sic Melchior Canus episcopus Canariẽ. & ipse dominicanus, in doctis illis

illis suis de locis theologicis libris indifferenter sacram scripturam, modo testamentum, modo instrumentum vocant, qui certe optimi sunt catholici, & nullo pacto Erasmiani. Idem mihi post tot & tantos doctores facere licuisse, arbitratus sum. Et quod ego vnus inter tot doctores, ob hanc vocem Erasmianus dicar, & nouitatis vocũ sectator, qua id iure fiat, videto. D. Ex his manifeste apparet sine causa hanc tibi notam inuri, & non dubito, si dictus magister ista legerit, quin (vt est pius) palinodiam canat, & Hieronymianũ, vel Augustinianũ te de cætero, nõ Erasmianum sit vocaturus. Sed vnum illum mouisse ad vocem hanc explodendam puto, quod scilicet ea Erasmus quoque vsus sit. A. An ea vsus sit nescio. Hoc vnum scio me non ab Erasmo, sed à patribus eam didicisse. Sed ista eius reiiciendi hanc vocem causa friuola est & nulla. Nam si ideo, quia Erasmus ea vsus est, debet nobis prophana esse, sequeretur omnes latinas voces, & vocẽ etiam testamentũ, quibus vsus est, ptophanas nobis esse debere. Sed hic verbis respõdebo August. Oues non debere pelles suas deponere, si aliquando eis lupi se contegant Ita dixero, etsi lupi hæretici vocibus aliquan-

do vtantur aut abutantur, quibus vsi sunt Ecclesiæ doctores, non propterea ita nos desipere debere, vt eas abiiciamus, illarumque nos vsu priuemus. D. Iam nihil supereſt, quod hic tibi obiicere queam. Vicisti. Erasmiana vox iſta non eſt, prophana non eſt nouitas, ſed ſacrata & ſancta vetuſtas. D: Aliud in tuo libro obſeruaui, vnde Erasmianum te aliqu ſuſpicabuntur. A. Quid illud eſt? D. Deum nempe ſaluatorem, etiam ſeruatorem vocas. Et quia Erasmus ſic quoque Christum vocare ſolitus eſt, piis aliquot vitis, ab ea voce velut prophana nouitate, abſtinere nos debere viſum eſt. A. Si primus ipſe Deū ſeruatorem vocaſſet, profectò abſtinendum ab ea appellatione cenſuiſſem, maxime ſi ipſe ſaluatoris vocem vt parum latinam, qua paſsim ſcriptura Deum honorat, repudiaſſet. Quod an fecerit, ignoro, ſicut vbi vel quo in loco Seruatorem Chriſtum appellet, adeo parum in librorum eius, quos de theologia ſcripſit, lectione verſatus ſum. Quod ad vocem ſeruatoris ſpectat, non negabis id, quod per eam ſignificatur Deo conuenire. Seruator enim eſt, qui ſeruat aliquē. Seruare autem ſignificat liberare, ſaluare cuſtodire, tueri, etiam inhabitare, vt apud Virgilium

lium Georg. 4. Centum quæ ſyluas, centum quæ flumina ſeruant. Hæc omnia Deo patri, & filio eius Chriſto maxime conueniunt. Ipſe eſt, qui nos ſaluat, liberat, cuſtodit, tuetur, inhabitat. Vnde in oratione, quam Chriſtus ad patrem in cœna habuit, ſic patrem pro diſcipulis ſuis precatur, Pater ſancte, inquit, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos. Cum eſſem cum eis, ego ſeruabam eos in nomine tuo. Quos dediſti mihi ego cuſtodiui, &c. Quę verba exponit Diuus Hieronymus lib. 2. aduerſus Pelagianos, in hunc modum, Nõ dixit, inquit, dedi eis liberi arbitrij poteſtatem, vt ipſi ſe ſuo labore ſaluarent, ſed ego cuſtodiui, ego ſeruaui, denique infert, non pero vt auferas eos de mundo, ſed vt cuſtodias illos à malo. Quæ verba ſic communis interpretatio habet: non rogo vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à malo. Ergo ſeruare Deo optimè conuenit. Et cũ ſeruator ſit, qui ſeruat, perfectò qui ſaluat, qui cuſtodit, qui liberat, qui tuetur nos, optime ſeruator dicetur. Quum ergo ſit verum quòd ſit ſeruator, non ſolum ſaluator, neſcio Deum ſaluatorem noſtrum, ſeruatorem quoque appellare cur timere debeas. D. De re per hanc vo-

cem significata, quin Deo conueniat non dubitamus, sed quia ab Erasmo primùm Deus seruator vocatus est, ideo piæ aures in ea offenduntur. Ob id maxime quod dedignetur cum scriptura & antiquis Deum Saluatorem dicere. A. Ego vtrumque iunxi, vocans simul Deum saluatorem & seruatorem nostrũ. Quod autem in ea aliqui offendantur, id etiam noui. Nam Romæ cum conciones latinas in quadragesima publice, in Ecclesia nostræ dominæ de Ara cæli nuncupata, haberem, contigit vt semel Deum saluatorem, & seruatorem nostrum appellarem. Hęc duo simul epitheta illi tribuens, vnde me quidam amicus admonuit, ea voce offensos tum aliquos fuisse, & in ea scandalum passos, atque apud aliquem Cardinalem ob id de me conquestos, qua de re non parũ tum admirabar: neque enim vocem illam pro Erasmiana & prophana nouitate, à quoquam tum haberi existimabam. D. Imò maxime Erasmianam esse cõstat, cum ante Erasmum nemo Deum seruatorem vocârit, & scriptura tale epithetum Deo nunquam tribuat: talia enim eos dicẽtes audiui, qui vocem istam vt Erasmianam abhorrent. A. Hoc parum eos in sacrá scriptura versatos ostendit, & temere

mere quæ ignorant condemnare. Ego enim à Salomone, omnium retro hominum, scriptura teste, sapientissimo voce ista Deum honorare didici, idque ex iis libris, quos omnes pro canonicis habent. D. Mira mihi dicis, & inaudita. Nam & ego in eorum hactenus sententia fui, qui vocem hanc vt nouam, vt à scriptura alienam, reiici debere arbitrati sunt, quam si à Salomone non ab Erasmo accepisse te probaueris, nihil mihi reliquum erit, quod tibi super eius obiiciam vsu. A. Legas 24. Prouerbiorum eius caput, & vt Deũ seruatorẽ animæ nostræ vocet, inuenies. Eius hæc sunt verba; Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Si dixeris. Vires nõ suppetunt: qui inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatorẽ animæ tuæ nihil fallit, redderque homini iuxta opera sua. Vides quomodo eum, quem nihil fallit, qui cordis est inspector, qui vnicuiq; iuxta opera sua redditurus est, seruatorem animæ nostræ vocarit. Quis enim magis animæ nostræ seruator, quàm Christus Dei filius, Deus de Deo, qui constitutus est omnium hominum iudex, vt reddat vnicuique iuxta opera sua? Huic enim optimo dicere iure, reginæ Austri ad Salomonẽ ver-

bis possumus. Diligit dominus Israel, & vult seruare eum in æternum, & ideo posuit te super eum regem, vt facias iudicia atque iustitiam. De quo & regius psaltes Dauid cantat. Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Iste enim est rex constitutus super Syon, super Israel secundum spiritum, vt seruet eum in æternum. D. Non dubito quin optimo illi titulus iste iure conueniat, nouitas tãtùm displicebat vocis, at nunc cùm scriptura ea Deũ appellet, Christus autem Deus noster sit, non video cur non, & ista nos voce, eũ ornare debeamus. A. Cum linguæ Hebraicę Parisiis operam darem, mihi præceptor dicere solitus erat, Hebręos nullam vocem satis eloquentem in sua lingua, aut pure Hebræam arbitrari, nisi quam in sacra scriptura inuenire possunt. Ego pariter iis libenter vocibus & loquendi modis vt elegantissimis vtor, quibus sacram scripturam vti comperio, etiam si Latinis parum Latina aliqua vox, vel phrasis videatur. D. Sic Christiano cuilibet faciendum est. At hîc forsan aliquis tibi obiiciat Christum antequam esset factus homo, recte seruatorem vocari potuisse, non autem deinceps. A. Nihil amisit eorum, quæ vt Deo illi conueniebant,

ex

ex eo, quod homo factus est, & ideo non minus nuuc, quàm antea feruator est animæ nostræ. Eadem enim ratione diceres, neque eum saluatorem dicendum esse, quandoquidem & sæpissime in veteri testamento Deus saluator dictus est, antequam factus esset homo. Sic enim iurabat quondã rex Saul 1. Reg. 15. Viuit Dominus saluator Israel. Sic Dauid rex Deum laudat, ca ntans 2. Reg. 22. Dominus petra mea, & robur meum, & saluator meus. Et Daniel c. 6. liberatorem & saluatorem vocat rex Babylonis Deum Israel. Num ideo postquam Deus homo factus est, non erit amplius liberator & saluator? D. Aequum id non esset. A. Sicut ergo Deũ saluatorem, seruatorem, liberatorẽ, & rectorem antiqui fideles antequam homo factus esset vocabant, nunc postquam homo factus est, ita quoque vocetur, æquum est. D. Non habeo quod super hoc tibi amplius opponam. A. Postquã enim scriptura sic Deum appellat, & vocis significatio reuera Deo cõuenit, vel cui maximè, non debeo, quia Erasmus ea vsus est, prophanam vel nouam eam reputare, neq; enim reiicere nostra debemus, si quando alieni ea vsurpãrint, sed ab iniustis ea repetere vsurpatoribus, vtque nostra

seruare, atque iis cum opus fuerit vti. Et ideo cum onunquam Ecclesia vocem hác aut eius vsum reprobauerit, & fidem, & spem, quam io Deum habemus excelléter exprimat, non est quod quisquam, propter aliquorum scandalum qui ex ignorantia sacræ scripturę vocem hanc non sacram, sed prophanam arbitrati sunt, ab eius abhorreat vsu. Scandalum namque tale acceptum ab eis est, non illis datum, sed facile scandalum tolletur eorum, si doceantur vocem hanc sacrá esse. Et Sapientissimo Salomoni in vsu fuisse. ~~D. Est aliud à me [illegible] [illegible] de veritate fidei nostræ~~, de perpetua Mariæ virginitate, scientiam habere nos posse. Hic scire vellem quomodo ea, quæ fidei sunt per sciétiam, vera esse cognosci queant. A. Nonne Theologiam scientiam esse credis? D. Aliqua, quæ in Theologia tractantur per scientiam, alia per solam fidem cognosci possunt. A. Ego hoc generaliter mihi assumo, de totius scilicet fidei catholicæ veritate, scientiam habere nos posse. D. Id quomodo intelligas, explicato. A. Nonne credis omne eos creatum siue absolutum fuerit, siue respectiuum in aliquo reponi

cognoſcitur perſuaſionis fidei noſtræ cauſam Deum eſſe, idcirco eo firmius, & euidentius, ex eo, quod de incredibilibus eſt, vera eſſe demonſtratum. Fateor quidem materiam fidei pro maiori parte, incredibilia dogmata eſſe, quæ nulla poſſunt naturali ratione probari, tamen illud ens, quod fidem dicimus, & pro obiecto incredibilia ſecũdum naturam habet, dico ſcibile eſſe, de quo haberi ſcientia poteſt. Nam probato propter naturalem eorum quæ creduntur incredibilitatem, perſuaſionis fidei noſtræ cauſam Deũ

z 5

[illegible], præter id, quod de ſacerdotum cœlibatu doces. Ais enim eum diuino iure, non poſitiuò, ex ſolius Eccleſiæ mandato, ſacerdotibus præſcriptum eſſe. A. Ita ſe res habet. Neque enim Eccleſiam Romanam matrem noſtram crediderim, tam graue iugum gentibus imponere auſam fuiſſe, niſi hoc à Chriſto, & eius legatis Apoſtolorum principibus, magiſtris & fundatoribus ſuis, accepiſſet. Et ideo in illis Chriſti verbis, ſecundum ſuum literalem ſenſum acceptis, ex quibus dictum cœlibatum à Chriſto fuiſſe

inſti

institutum in nostro libro diximus, istum cœlibatum manifestè cõtineri arbitror. Scio multos ex Ecclesiæ doctoribus verba ista sic interpretatos esse, Si quis venit ad me, & non odit vxorem, acsi generaliter ad omnes pertinerent Christianos, quod verum non est, nisi sensum sequendo mysticum moralem. Nam quoad literalem sensum, ad solos referuntur eos, qui Christi esse discipuli cupiunt. Quòd iste sit literalis sensus, in quo ea exposui & allegaui, ex sequentibus principiis probatur.

Primò. Nunquã in Euangelio Christum vel Euangelistas nomen discipuli, nisi ad significandum distinctam quandam à reliqua turba hominum cæterum, gradum, & ordinem accepisse reperio. Matthæus quindecies, Marcus octies, Lucas nouies, Iohãnes ter decies, discipuli nomen in suis Euangeliis habent, nec tamen vsquam ad significandum generaliter omnes Christianos, sed certum tantùm ordinem, Christo, vel Ioanni Baptistę adhærentium hominum, vsos esse eos comperies.

Secũdò. Si nomine discipuli omnes Christianos, Christus comprehendisse in hoc loco dicatur, ergo etiam & mulieres Christi disci-

discipuli dicentur,relinquere tamen vxores solis viris conuenit.

Tertiò, Christus in istis verbis certa quædam præscribit,ad quæ neminē,nisi sub conditione cogit, quæ est, si velit esse discipulus eius. Amare Deum plus quàm patrem, aut vxorem,renunciare potius vxori quàm fidei Christi (qui spiritualis sensus horum verborum est)omnibus generaliter,siue velint,siue nolint Christi esse discipuli,præceptum est.

Quartò, Exigit in futuro discipulo quædam, quæ reliquis de turba Christianis non præcipit.Distinguit enim hos à reliqua turba. Et ex philosophia hoc habemus generale axioma,Per id,quod omnibus commune est, nulla inter omnes fit distinctio. Si quod Christus hîc in futuro suo requiri discipulo dixit, ita exposueris, vt omnibus id necessario faciendum sit, profectò à Christi intentione,& finali eius sic loquendi causa,longissime aberraueris & recesseris. Ideo cum aliquid hîc discipulis præscribatur, ad quod nō omnes tenentur de turba Christiani,& non possit dici quid id sit, nisi ea secundum literam acceperis,quemadmodum & secundum literam de discipulis Christi Apostolis, quòd vxores, patrem, & matrem, vt Christi disci-

puli essent, reliquerant, verum est, ideirco necessario mihi videtur, literalem istorum verborum sensum eum prorsus esse, quem in dicto libro posuimus Et hunc sensum, vt quærerem, Ecclesiæ catholicæ, Romanæ scilicet, hostes, hæretici coegerunt, dum atrocissimis verbis in eam inueherētur, dicentes sine expresso Dei verbo, tale iugum suis imposuisse illam sacerdotibus, & traditionem hoc esse humanam, dei verbo & Euangelio contrariam, & ideo rescindendam & reiiciendá esse. Hæcquidem illi. At vbi tam clare & manifeste ex istis verbis cœlibatum à Christo præscriptum ostendissem, silebant, & confessas mihi multi ex eis porrigebant manus. Certe expositio nostra cum fidei & morum doctrina, quam Ecclesia Romana de suo sacerdotio tradit, quammaximè conuenit, & diuinam suis, quæ putabantur illius tantum esse, traditionibus authoritatem conciliat. D. Iam non superest, de quo admonendus sis, nisi de eo, quod non satis benè latine, aliqua dixisse, visus mihi es. Dicam ingenuè quod nonnullis elegantiæ sermonis candidatis displiciturum arbitror. Primo verbum, abborreo, vt plurimum semper accusatiuo iungis, cum Laurentius valla exerte affirmet, latine

non dici Abborreo hanc rem, sed abhorreo ab hac re. Secūdò, fidem mundo persuasam dicis, quod impropriè dictum existimo, cum homines dicantur propriè persuasi, non fides. Tertiò, quodam in loco ais, nos communibus verbis de Ioseph & virginis matrimonio loqui non sufficere, quod etiam impropriè dictum videtur, & duriusculè sonare. Quartò, etiam displicet modus iste loquendi, quo ais Apostolum consilium seruandi virginitatem dedisse. Aliud nōn obseruaui quod latinorum aures offendere iure queat. A. In hoc me libro fateor, parū de poliēdo sermone habuisse curæ, sed omnia fere vt in schedas, à festinante, & multis negotiis intricato effusa sunt, reliquisse, præter quod data opera, stilum demittere, & quasi frangere conatus sum, vt incultus sermo appareret. Nam tûc temporis, cum hæc scribebem, vitio mihi aliqui vertebant, quòd in nostris tum concionibus tum libris, Erasmianam sequerer phrasim. Tunc etiam temporis, ob vocum illarum vsum, de quibus superius dixi, vt Erasmianum me nonnulli Romæ, apud pios aliquot viros traducebant. Quare tum apud me statui de rebus decætero certa & soluida methodo tractandis tantum

tum me curā habiturum, de vocibus autem eligendis, quibus eas explicem non ita, sed hoc solum mihi suffecturum, si congruè latinè loquerer, & meos conceptus sine barbarismo & solæcismo exprimerem. Verum enimuero ingenue fateor, elegantioris me sermonis lectione delectari, & ideo nunquam sine Lactantio, & aliquo Ciceronis libro iter ingredi, quos iucundos comites, velut pro vehiculo, in quotidianis peregrinationibus semper mecum habeo. Sine autem epistolarum diui Hieronymi libris, si voluminum magnitudo permitteret, nunquam reperirer. Adeo eius me dictio, & vehemens catholicę fidei zelus oblectant. Quod ad voces istas spectat, quibus me impropriè, vel incongruè vsum existimas. Primùm de verbo, Abhorreo, respondeo, Lactantium, & Ciceronem, necnon & Titum Liuiū, atque Suetonium, (qui latine loqui ita bene atque Laurentius Valla sciebāt) illud cum accusatiuo iungere. Sic nanque loquitur Lactantius libro 3. di. Inst. Non est sapientia si cætum hominum abhorret. Cicero pro Cluentio dixit, Hoc tantum facinus abhorrere videatur, & omnes eum abhorrebant. Liuius, Parum abhorrens famam ampliatam. Suetonius de Augusto

gusto, Pumilios atque distortos vt ludibria naturæ abhorruit. Quò ad secundum, dico Ciceronem sic quoque loquutum esse, vt in Tusculanis, Opinio, inquit, mali quo viso & persuaso ægritudo insequitur. Hic malum visum & persuasum, pro malo, de quo aliquis persuasus est, quod sibi immineat, dixit. Quintilianus ideo persuasibile passiuè dixit, pro eo, quod alicui persuaderi facile potest, & persuasibiliter dicere, finem ait, esse Rhetoricæ Rhetoricæ, inquit, vis est inueniendi omnia in oratione persuasibilia. Et ideo sicut non solum Latine dicitur, induo tibi vestem, sed etiam, vestis induta tibi est à me. (Plinius nanque dicit indutum pedibus aurum. Et Verg. vestes indutæ) sic non solum Latine dicitur, persuadeo tibi hanc rem, sed etiam, res hæc tibi persuasa à me est. De tertio dico Vergilium me imitatum esse, qui Aene. 5. sic loquitur: Nec nos obniti contra, nec tendere tantùm sufficimus. Sicut dixi non sufficimus loqui, ita dixit ille, Non sufficimus obniti, nec tendere contra. De quarto, Cicero in libro ad Herennium diffinit consilium dicens, quod est aliquid faciendi non faciendive ratio excogitata. Sicut ille dixit, est ratio faciendi, dixi ego consilium

seruan

seruandi virginitatē Apostolum dare. Quod Ciceronis verbis ita aliter dixissem, rationem eum excogitatam seruandi virginitatem Corinthiis dedisse. Sed in istis immorari, theologum tædet.

D. Scias aliquos tanto studio ad inueniendum, quod carpant tuis æditis lucubrissc libris, & incubituros ædendis esse, vt [illegible]
intentatum, reliquerint, nec [illegible]
ceps sint; vnde detrahi labo[illegible]
mæ queat. Pascitur enim [illegible]
Ouidius poëta ait, p[illegible]
[illegible]us ex merito [illegible]
[illegible] feras no[illegible]
potest. [illegible]
Qui hab[illegible]
deterion[illegible]
malitiam [illegible]
iis quæ fam[illegible]
fieri potest [illegible]

D. Vnum adhuc [illegible] quo forsan risuri [illegible] tui sint. Et est, quod noua efficta latina voce Zachariam mutitate percussum dixisti, qua voce nunquam Cicero aut aliquis auctor latinus, quod equidem sciam, vsus est aliquando.

A. Cicero in quæstionibus Academicis

de philosophia disputans, sibi & aliis libertatem permittit fingendi eiusmodi voces, cum opus habuerint, quando scilicet aliæ voces latinæ ad animi conceptus exprimendos non suppetunt. Vnde ille beatitatem à beatus dixit, sicut ego mutitatem à mutus. Neque mihi vllæ est religioni, pro maiori co-
quæ [illegible] volo expressione, Ciceronis
effinxisse voces. Sic etiā alicu-
occurreret apta qua id, quod
formaliter significatur ex-
dixi, pro qua si gra-
que dictum cupie-
expressissem.
qui veli
nequ
nt super-
[illegible]arum, re-
& exponen-
dis [illegible] enim theolo-
gum [illegible] istarum rigori-
bus æquum est.

D. Ita faciendum existimo. Et quia iam sol vergit ad occasum, & ex tam longa disputatione, te fessum existimo, tempus est riuos claudas. Vnum antea tamen rogatum te velim, quod eorum quæ de te dicerentur

646

cerentur, aut dici posfent, bertate admonuerim, æqu

A. Id facturus sum, imo quod ita me candidè adm me fateor.

D. Ego quoque quod tua & responsione quæ ignôi dicerim, gratias habeo imm tem velim, è re tua tam omnium librorum tuor bere, & ab re, vt nihi aliquos de te rum dictos tuos libr à commun.

rata quæ subseq peruer unt

Pagina 43. deest post ve non est

tibi respondebo Hieronymi.
... respondere, magis super-
... Vt ipsi superbi sunt in
... ita tibi licet sanctè su-
... defendendo. A. Id fe-
... Deus inspirarit, quem pre-
... tua in me animi
... sione mercedem in
... tibi reponat.
Amen.

Rouisin

1256

bis possumus. Diligit dominus Israel, & vult seruare eum in æternum, & ideo posuit te su per eum regem, vt facias iudicia atque iustitiam. De quo & regius psaltes Dauid cantat. Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Iste enim est rex constitutus super Syon, super Israel secundum spiritum, vt seruet eum in æternum. D. Non dubito quin optimo illi titulus iste iure conueniat, nouitas tātum displicebat vocis, at nunc cùm scriptura ea Deū appellet, Christus autem Deus noster sit, non video cur non, & ista nos voce, eū ornare debeamus. A. Cum linguæ Hebraicæ Parisiis operam darem, mihi præceptor dicere solitus erat, Hebræos nullam vocem satis eloquentem in sua lingua, aut pure Hebræam arbitrari, nisi quam in sacra scriptura inuenire possunt. Ego pariter iis libenter vocibus & loquendi modis vt elegantissimis vtor, quibus sacram scripturam vti comperio, etiam si Latinis parum Latina aliqua vox, vel phrasis videatur. D. Sic Christiano, cuilibet faciendum est. At hic forsan aliquis tibi obiiciat Christum antequam esset factus homo, recte seruatorem vocari potuisse, non autem deinceps. A. Nihil amisit eorum, quæ vt Deo illi conueniebant,

ex

ex eo, quod homo factus est, & ideo non minus nunc, quàm antea seruator est animæ nostræ. Eadem enim ratione diceres, neque eum saluatorem dicendum esse, quandoquidem & sæpissime in veteri testamento Deus saluator dictus est, antequam factus esset homo. Sic enim iurabat quondã rex Saul 1. Reg. 15. Viuit Dominus saluator Israel. Sic Dauid rex Deum laudat, ca ntans 2. Reg. 22. Dominus petra mea, & robur meum, & saluator meus. Et Danielis 6. liberatorem & saluatorem vocat rex Babylonis Deum Israel. Num ideo postquam Deus homo factus est, non erit amplius liberator & saluator? D. Aequum id non esset. A. Sicut ergo Deũ saluatorem, seruatorem, liberatorẽ, & rectorem antiqui fideles antequam homo factus esset vocabant, nunc postquam homo factus est, ita quoque vocetur, æquum est. D. Non habeo quod super hoc tibi amplius opponam. A. Postquã enim scriptura sic Deum appellat, & voces significatio reuera Deo cõuenit, vel cur maximè, non debeo, quia Erasmus ea vsus est, prophanam vel nouam eam reputare, neq; enim reijcere nostra debemus, si quando alieni ea vsurpârint, sed ab iniustis ea repetere vsurpatoribus, vtque nostra

seruare, atque iis cum opus fuerit vti. Et ideo cum nunquam Ecclesia vocem hãc aut eius vsum reprobauerit, & fidem, & spem, quam in Deum habemus excelléter exprimat, non est quod quisquam, propter aliquorum scandalum qui ex ignorantia sacræ scripturę vocem hanc non sacram, sed prophanam arbitrati sunt, ab eius abhorreat vsu. Scandalum namque tale acceptum ab eis est, non illis datum, sed facile scandalum tolletur eorum, si doceantur vocem hanc sacrã esse. Et Sapientissimo Salomoni in vsu fuisse. D. Est aliud à me [illegible] [illegible] de veritate fidei nostræ, de perpetua Mariæ virginitate, scientiam habere nos posse. Hic scire vellem quomodo ea, quæ fidei sunt per sciétiam, vera esse cognosci queant. A. Nonne Theologiam scientiam esse credis? D. Aliqua, quæ in Theologia tractantur per scientiam, alia per solam fidem cognosci possunt. A. Ego hoc generaliter mihi assumo, de totius scilicet fidei catholicæ veritate, scientiam habere nos posse. D. Id, quomodo intelligas, explicato.

A. Nonne credis omne ens creatum siue absolutum fuerit, siue respectiuum in aliquo reponi

cognoscitur persuasionis fidei nostræ causam Deum esse, idcirco eo firmius, & euidentius, ex eo, quod de incredibilibus est, vera esse demonstratur. Fateor quidem maiorem fidei pro maiori parte, incredibilia dogmata esse, quæ nulla possunt naturali ratione probari, tamen istud esse, quod fidem dicimus, & pro obiecto incredibilia secūdum naturam habet, dico scibile esse, de quo habe ri scientia potest. Nam probato propter naturalem eorum quæ creduntur incredibilitatem, persuasionis fidei nostræ causam Deū

z 5

[illegible], præter id, quod de sacerdotum cœlibatu doces. Ais enim eum diuino iure, non positiuò, ex solius Ecclesiæ mandato, sacerdotibus præscriptum esse. A. Ita se res habet. Neque enim Ecclesiam Romanam matrem nostram crediderim, tam graue iugum gentibus imponere ausam fuisse, nisi hoc à Christo, & eius legatis Apostolorum principibus, magistris & fundatoribus suis, accepisset. Et ideo in illis Christi verbis, secundum suum literalem sensum acceptis, ex quibus dictum cœlibatum à Christo fuisse

insti

institutum in nostro libro diximus, istum cœlibatum manifestè cótineri arbitror. Scio multos ex Ecclesiæ doctoribus verba ista sic interpretatos esse, Si quis venit ad me, & non odit vxorem, acsi generaliter ad omnes pertinerent Christianos, quod verum non est, nisi sensum sequendo mysticum moralem. Nam quoad literalem sensum, ad solos referuntur eos, qui Christi esse discipuli cupiunt. Quòd iste sit literalis sensus, in quo ea exposui & allegaui, ex sequentibus principiis probatur.

Primò. Nunquã in Euangelio Christum vel Euangelistas nomen discipuli, nisi ad significandum distinctum quendam à reliqua turba hominum cætum, gradum, & ordinem accepisse reperio. Mathæus quindecies, Marcus octies, Lucas nouies, Iohãnes ter decies, discipuli nomen in suis Euangeliis habent, nec tamen vsquam ad significandum generaliter omnes Christianos, sed certum tantùm ordinem, Christo, vel Ioanni Baptistę adhærentium hominum, vsos esse eos comperies.

Secūdò. Si nomine discipuli omnes Christianos, Christus comprehendisse in hoc loco dicatur, ergo etiam & mulieres Christi disci-

discipuli dicentur,relinquere tamen vxores solis viris conuenit.

Tertiò, Christus in istis verbis certa quædam præscribit,ad quæ neminè,nisi sub conditione cogit, quæ est, si velit esse discipulus eius. Amare Deum plus quàm patrem, aut vxorem,renunciate potius vxori quàm fidei Christi (qui spiritualis sensus horum verborum est)omnibus generaliter,siue velint,siue nolint Christi esse discipuli,præceptum est.

Quartò, Exigit in futuro discipulo quædam, quæ reliquis de turba Christianis non præcipit.Distinguit enim hosà reliqua turba. Ex ex philosophia hoc habemus generale axioma,Per id,quod omnibus commune est, nulla inter omnes fit distinctio. Si quod Christus hic in futuro suo requiri discipulo dixit, ita exposueris, vt omnibus id necessario faciendum sit, profectò à Christi intentione,& finali eius sic loquendi causa,longissime aberrauetis & recesseris. Ideo cum aliquid hîc discipulis præscribatur, ad quod nō omnes teneantur de turbis Christiani,& non possit dici quid id sit, nisi ea secundum literam acceperis,quemadmodum & secundum literam de discipulis Christi Apostolis, quòd vxores, patrem, & matrem , vt Christi disci-

pulissent,reliquerant,verum est,idcirco necessario mihi videtur, literalem istorum verborum sensum eum prorsus esse,quem in dicto libro posuimus Et hunc sensum,vt quærerem,Ecclesiæ catholicæ, Romanæ scilicet, hostes,hæretici coegerunt,dum atrocissimis verbis in eam inueherẽtur, dicentes sine expresso Dei verbo,tale iugum suis imposuisse illam sacerdotibus , & traditionem hoc esse humanam , dei verbo & Euangelio conttariam, & ideo rescindendam & reiiciendã esse.Hæc quidem illi.At vbi tam clare & manifeste ex istis verbis cœlibatum à Christo præscriptum ostendissem, silebant , & confessas mihi multi ex eis porrigebant manus. Certe expositio nostra eum fidei & morum doctrina,quam Ecclesia Romana de suo sacerdotio tradit, quammaximè conuenir, & diuinam suis,quæ putabantur illius tantum esse,traditionibus authoritatem conciliat. D. Iam non superest , de quo admonendus sis, nisi de eo,quod non satis benè latine,aliqua dixisse, visus mibi es. Dicam ingenuè quod nonnullis elegantiæ sermonis candidatis displiciturum arbitror.Primo verbum,abhorreo ,vt plurimum semper accusatiuo iungis, cum Laurentius valla exerte affirmet , latine

non

non dici Abhorreo hanc rem, sed abhorreo ab hac re. Secūdò, fidem mundo persuasam dicis, quod impropriè dictum existimo, cum homines dicantur propriè persuasi, non fides. Tertiò, quodam in loco ais, nos communibus verbis de Ioseph & virginis matrimonio loqui non sufficere, quod etiam impropriè dictum videtur, & duriuscule sonare. Quartò, etiam displicet modus iste loquendi, quo ais Apostolum consilium seruandi virginitatem dedisse. Aliud non obseruaui quod latinorum aures offendere iure queat. A. In hoc me libro fateor, parū de polie̅do sermone habuisse curæ, sed omnia fere vt in schedas, à festinante, & multis negotiis intricato effusa sunt, reliquisse, preter quod data opera, stilum demittere, & quasi frangere conatus sum, vt iucultus sermo appareret. Nam tūc temporis, cum hæc scriberem, vitio mihi aliqui vertebant, quòd in nostris tum concionibus tum libris, Erasmianam sequerer phrasim. Tunc etiam temporis, ob vocum illarum vsum, de quibus superius dixi, vt Erasmianum me nonnulli Romæ, apud pios aliquot viros traducebant. Quare tum apud me statui de rebus decætero certa & soluida methodo tractandis tantum

tum me curā habiturum, de vocibus autem eligendis, quibus eas explicem non ita, sed hoc solum mihi suffecturum, si congruè latinè loquerer, & meos conceptus sine barbarismo & solæcismo exprimerem. Verum enimuero ingenue fateor, elegantioris me sermonis lectione delectari, & ideo nunquam sine Lactantio, & aliquo Ciceronis libro iter ingredi, quos ut iucundos comites, velut pro vehiculo, in quotidianis peregrinationibus semper mecum habeo. Sine autem epistolarum diui Hieronymi libris, si voluminum magnitudo permitteret, nunquam reperirer. Adeo eius me dictio, & vehemens catholicę fidei zelus oblectant. Quod ad voces istas spectat, quibus me impropriè, vel incongruè vsum existimas. Primùm de verbo, Abhorreo, respondeo, Lactantium, & Ciceronem, necnon & Titum Liuiū, atque Suetonium, (qui latine loqui ita bene atque Laurentius Valla sciebāt) illud cum accusatiuo iungere. Sic nanque loquitur Lactantius libro 3. di. Inst. Non est sapientia si cætum hominum abhorret. Cicero pro Cluentio dixit, Hoc tantum facinus abhorrere videatur, & omnes cum abhorrebant. Liuius, Parum abhorrens famam ampliatam. Suetonius de Augusto

gusto, Pumilios atque distortos vt ludibria naturæ abhorruit. Quò ad secundum, dico Ciceronem sic quoque loquutum esse, vt in Tusculanis, Opioio, inquit, mali quo viso & persuaso ægritudo insequitur. Hic malum visum & persuasum, pro malo, de quo aliquis persuasus est, quod sibi immineat, dixit. Quintilianus ideo persuasibile passiuè dixit, pro eo, quod alicui persuaderi facile potest, & persuasibiliter dicere, finem ait, esse Rhetoricæ Rhetoricæ, inquit, vis est inueniendi omnia in oratione persuasibilia. Et ideo sicut non solum Latine dicitur, induo tibi vestem, sed etiam, vestis induta tibi est à me. (Plinius namque dicit indutum pedibus aurum. Et Verg. vestes indutæ) sic non solum Latine dicitur, persuadeo tibi hanc rem, sed etiam, res hæc tibi persuasa à me est. De tertio dico Vergilium me imitatum esse, qui Aene. 5. sic loquitur: Nec nos obniti contra, nec tendere tantùm sufficimus. Sicut dixi non sufficimus loqui, ita dixit ille, Non sufficimus obniti, nec tendere contra. De quarto, Cicero in libro ad Herennium diffinit consilium dicens, quod est aliquid faciendi non faciendive ratio excogitata. Sicut ille dixit, est ratio faciendi, dixi ego consilium

seruan

seruandi virginitatē Apostolum dare. Quod Ciceronis verbis ita aliter dixissem, ranonem eum excogitatam seruandi virginitatem Corinthiis dedisse. Sed in istis immorari, theologum tædet.

D. Scias aliquos tanto studio ad inueniendum, quod carpant tuis æditis incubuisse libris, & incubituros ædendis esse, vt intentatum, relinquerint, nec ceps sint, vnde detrahi labo ma: queat. Pascitur enim Ouidius poëta ait, p us ex merite er re feras nor potest. N Qui habe deterion malitiam tu is quæ fam fieri potest rat

D. Vnum adhuc quo forsan risuri multi tui sint. Et est, quod noua efficta latina voce Zachariam mutitate percussum dixisti, qua voce nunquam Cicero aut aliquis auctor latinus, quod equidem sciam, vsus est aliquando.

A. Cicero in quæstionibus Academicis

de philosophia disputans, sibi & aliis libertatem permittit fingendi eiusmodi voces, cum opus habuerint, quando scilicet aliæ voces latinæ ad animi conceptus exprimendos non suppetunt. Vnde ille beatitatem à beatus dixit, sicut ego mutitatem à mutus. Neque mihi vllæ est religioni, pro maiori eo-
quæ dicta volo expressione, Ciceronis
effinxisse voces. Sic etiã alicu-
occurreret apta qua id, quod
formaliter significatur ex-
dixi, pro qua si gra-
que dictum cupie-
expressissem.
qui veli
neque
nt super-
arum, re-
exponen-
dis, e enim theolo-
gum tarum rigori-
bus æquum est.

D. Ita faciendum existimo. Et quia iam sol vergit ad occasum, & ex tam longa disputatione te fessum existimo, tempus est riuos claudas. Vnum antea tamen rogatum te velim, quod eorum quæ de te dicerentur

M

cerentur, aut dici possent, bertate admonuerim, æqu

A. Id facturus sum, ime quod ita me candidè adm me fateor.

D. Ego quoque quod tu & responsione quæ ignô dicerim, gratias habeo imm tem velim, è re tua tam omnium librorum tuor bere, & ab re, vt nihi aliquos de te rum dictos tuos lib à commun.

rata quæ subsequ peruer um

Pagina 43 deest post ver non est

VIRG. MARIÆ.

tis respondebo Hieronymi.
... respondere, magis super-
... Vt ipsi superbi sunt in
... ita tibi licet sanctè su-
... defendendo. A. Id fa-
Deus inspirarit, quem pre-
... in me animi ...
... mercedem in ...
tibi reponat.
Amen.

Roussan





